Theodor. Thorlacius.

Descriptio Islandiæ.

1666.

Q. B. V. D.

DISSERTATIO CHOROGRAPHICO-HISTORICA

De

ISLANDIA,

Brevissimam Insulæ hujus Descriptionem proponens, ac Auctorum simul qvorundam de eâ errores detegens,

QVAM

In Illustri Academia Wittebergensi

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Admodum Reverendi, Amplissimi, & Excellentissimi,

DN. ÆGIDII STRAUCH,

S.S. Theologiæ D. & Historiarum Professoris Publ. Celeberrimi,

Domini Fautoris & Patroni sui plurimùm suspiciendi,

Publico Eruditorum Examini sistit

IN AUDITORIO MAJORI

A. D. XIV. Martii

Resp.

THEODORUS THORLACIUS,

Holâ-Islandus.

WITTEBERGÆ, Litteris MICHAELIS Wendt / Anno 1666.

15.

I. N. S. S. T.

Procemium.

A Verò haud multum ablusit *Synesius*, dum *Thulen Insulam, propter maximam ab aliis terris distantiam, multis citrà reprehensionem mentiendi facultatem fecisse, dixit.* Adeò enim in describendâ hac Insulâ hallucinati sunt Auctores plerique, ut vix unicam periodum fabulis & figmentis carentem, reliqverint, id qvod, nisi aliqva terræ istius cognitione imbutum, non ita facilè persvasurum sibi esse, haud diffido. Ne autem existimet aliqvis, me idem hic de omnibus Autoribus sentire, aut omnes, absq; discrimine, mendacii alicujus temerè insimulare velle (*absit enim ut virorum bonorum honori & autoritati qvicqvam detractum velim*) ante omnia, & in ipso statim limine, probè distingvendum duxi, inter eos, qvi, qvæ partim ex vulgi relatione, partim ex aliorum historiis ac descriptionibus hauserant, vera esse existimantes, eadem rursus suis, absq; tamen calumniandi studio intulêre, (*qvibus idcirco neqvaqvam succensendum, sed ignoscendum potius esse judico.*) Et hos, qvi ex naturæ perversitate, solô diffamandi & calumniandi studiô inducti, nescio qvæ non mendacia & calumnias congesserunt, & in gentem remotam, sed tamen immeritam evomuerunt, ut eidem ignominiæ notam apud cæteros populos inurerent. Inter qvos principem facilè locum, & Coryphæi titulum omni jure meretur *Dithmarus Blefkenius*, qvi scriptum qvoddam mendaciis opprobriisq; atrocissimis refertum, improbô ac infelici nisu in lucem edidit, circa Annum Christi 1607. & ut difficilius agnosceretur, majoremq; scripto isti suo fidem conciliaret, fucô fraudem tegere, veritatis amorem & pietatis studium unicè prætendendo, non est veritus. Qvamvis autem Vir Per-Reverendus ac Præclarissimus, *Dn. Arngrimus Jonas, Islandus,*

Apud Bochart. in Chanaan L. 1. Cap. 4. p. 726.

landus, Ecclesiæ *Melstadensis* qvondam Pastor, vicinarumqve Præpositus vigilantissimus, non solum speciale contrà calumnias *Blefkenianas* apologema, qvod inscripsit: ANATOME BLEFKENIANA, in lucem ediderit; verum etiam aliud generalius, cui titulum fecit, COMMENTARIUS ISLANDIÆ, contra *Georgii* cujusdam *Perses* nænias Germanicè editas, nec non contra *Munsteri, Frisii, Crantzii, Adami Bremensis, Olai Gothi* (vulgo Magni appellati) aliorumqve, circa Insulam hanc errores, scripserit ac typis evulgari curaverit; tamen, (*qvod satis mirari neqveo*) plurimi recentiores Geographi, Autorum istorum errores etiamnum seqvi, suis historiis inserere, non destiterunt, forsitan, qvia Clarissimi *Arngrimi Jonæ* scripta, non tam latè dispersa distractaq; fuerint. Hinc occasionem cæpi, me in hac potissimum materiâ exercendi, non qvod aliqvid lucis aut celebritatis Patriæ meæ inde affulsurum existimem, multò minùs; qvod me huic negotio sustinendo parem esse putem, utpote qvi meæ mihi satis conscius sim tenuitatis, nec ignorem, qvam arduæ, qvamq; intricatæ sint res Geographicæ, vel ipso fatente Cicerone, qvi (*ut inqvit Farnabius*) & in Philosophiæ spatiis natus, & florens ex eloqventiæ myrotheciis Philosophus fuit; Sed ut rerum nostrarum curiosis, & conditionem terræ remotissimæ scire cupidis, promptum gratificandi studium declararem, ac simul Autorum de hac Insulâ errores, qvantum ingenii tenuitas permittit, detegerem. Ne autem dissertatiuncula hæc nostra, nullis definita limitibus, huc illuc fluctuet ac divagetur, in duas dividere eam sectiones placuit, qvarum prior *brevissimâ Islandiæ Chorographiam* exhibebit ita ut *Insulæ Descriptionem, Divisionem, Cæli ac soli qvalitatem, Terræ σχέσιν seu habitudinem, loca celebriora, & animalium tam terrestrium qvàm aqvaticorum varietatem*, qvam brevissimè exponat. Posterior autem de *incolis* aget, eorumq; primò *Originem, & occasionem habitatæ Insulæ* enarrabit, Deinde *Reipublicæ formam*, nec non *statum Ecclesiasticum, Politicum & Oeconomicum* repræsentabit, ac ultimò de *lingvâ & indole incolarum* nonnulla, qvâ fieri potest brevitate, proponet. *Adsit nobis interea DEus Ter Opt. Max. & conatibus nostris clementer benedicat!*

Lib. 2. Ad Attic. Epist. 4. 6. & 7.
In Indic. Reth. p. 122.

SECTIO

SECTIO PRIOR

CHOROGRAPHICA.

THESIS I.

ISLANDIA est Insula Oceani septentrionalis,inter 5. & 24. longitudinis,*necnon 64. & 67.* latitudinis gradum *sita, cæteras istius & vicini tractus Insulas* (qvæ hodiè cognitæ sunt) *magnitudine suâ facilè vincens.*

> *Descriptio Islandiæ.*

§. 1. A nominibus auspicandum esse subtilis monet *Scaliger*, cujus moniti ne nos in præsenti obliti videamur, *Pragmatologiæ* brevem qvandam *Onomatologiam* præmittendam duximus. Ab Etymologiâ igitur, qvam primùm inter nominalia argumenta obtinere locum tradit non vulgaris notæ Philosophus Eiflerus, exorsi, Islandiæ nomen, cum omnibus ferè Geographis, qvi aliqvid de Insulâ hac prodidêre, â *glacie* derivamus, eâq; *Gronlandica*, qvâ litus ejus potissimum boreale, haud rarò infestatur. De occasione autem derivationis, paulò inferius, nimirum in synonymiæ evolutione, nonnulla dicemus.

> *Exerc. 359. Sect. 1. p. 150.*
> *Etymologia.*
> *In Methodol. partic. c. 3. p. 47.*
> *§. 7. hujus Th.*

§. 2. Ab *Etymologiâ*, ad *Homonymiam*, bono ordine descendimus, qvæ varia hic non occurrit, & vix præter unicam illam, cujus Clarisf. *Arngrinus Jonas* in *Specimine Islandico* meminit, ubi ex historiâ navigationis Fratrum Venetorum, Nicolai & Marci (*qvorum uterq; Zeni cognomen gessisse fertur*) colligit, aliam qvandam in Oceano Hyperboreô reperiri Insulam, qvæ etiam *Islandiæ* nomine insignita fuerit. Lubet hic paucula ex historiâ istâ, qvæ ex opere historico Pontani exscripsisse se Arngrimus l. c. profitetur, repetere. Sic autem habet: *Uterq;* (Fratrum Venetorum sub Zichino, Frislandiæ Rege, stipendia merentium) *maximo belli apparatu* Estlandiam *occupare aggressi sunt; inter* Frislandiam & Norveg. *positam: cui qvoq; maxima intulerunt damna. Sed audito* Norvegiæ Regem, *magnâ cum navium classe, qvò bellô illos avocaret, appropinqvare, anchoras sustulerunt;*

> *Homonymia.*
> *Parte 2. Memb. 2 p. 142. & seqq.*
> *Qvedā ex Historia navigationis & rerum in Oceano Frislandico gestarum, Fra-*

cum

erum Zeno-rum, apud Arngrim. l. cit. & Pon-tanum in opere histo-rico in desc. Insul Boreal. *cum ecce, tàm horrenda invadit tempestas,* ut ad *Syrtes qvasdam delati, magnam navium partem amiserint, reliqvis in* Grislandiam *insulam magnam, sed incultam appulsis. Norvegorum classis cum eadem tempestate colluctata, fecit & ipsa naufragium, & per maria illa variè fuit disjecta, qvâ de re per navim qvandam hostilem in* Grislandiam *fortè delatam, certior factus* Zichinus, *reparatâ jam classe, cum non procul ab* Islandicis Insulis *se abesse cerneret,* Islandiam, *qvæ & ipsa Norvegis erat subjecta, decrevit invadere, sed tam munitam defensoribusq; instructam offendit, ut cum exilem admodum, nec à viris armisq; instructam haberet classem, ab incaptô repulsus fuerit, coactusq; re infectâ discedere. Adortus tamen est in iisdem Euripis* Islandicas Insulas, *qvæ septem numero sunt:* 1. Talas. 2. Broas. 3. Ircant. 4. Trans. 5. Minant. 6. Damberca. 7. Bressa; *Omnes variè depopulatus est, & in Bressâ propugnaculum struxit, cui* Nicolaum (*Zenum*) *præfecit; relictis inibi aliqvot navibus, & militum manu, cæterisq; ad bellum reqvisitis, &c.* Nicolaus *qvi* Bressæ *remansisset, vere novô in altum progredi, & terras novas aperire statuit, qvare instructis tribus duntaxat navibus, iisq; non nimis magnis; Julio mense, in Septentriones contendit, & in* Entgrovvelandiam *est delatus; ubi Cœnobium offendit Fratrum Prædicatorum & templum Div. Thomæ sacrum,* &c. hactenus ex Pontano Arngrimus.

Grislandia.

Islandicæ Insulæ VII.

Entgrovvelandia.

§. 3. Nolo autem hic dissimulare, qvod *Zenorum* hanc historiam haud immeritò suspectæ esse posse fidei existimem, 1. cùm de existentiâ ipsius *Frislandiæ* hodie dubitetur. 2. cum in *Chronico Norvegico* nulla expeditionis hujus navalis, aut contra Zichinum, apparatus bellici, fiat mentio. 3. cum *Estlandia* ista inter *Norvegiam* & *Frislandiam* sita hodie prorsus ignoretur. Si vel autem maximè vera hæc narratio sit, malè nihilominus *Islandiam* istam, cum nostrâ, nonnulli Geographi confundunt. Nam qvo minùs nostram hic agnoscere possimus Patriam, plurima obstant, in primis illud, qvod in antiqvitatibus nostris de hac expeditione altum sit silentium. Si enim Majoribus nostris, non solum res in Patriâ; sed alibi etiam gentium gestas, in historias & annales referre summa cura fuit, testantibus id ipsum, præter plurima monumenta, qvæ nobis reliqverunt, & etiam-

Videatur §. 22. huj. Thesios.

Mercator in Atl. Tab. de Isl. f. 26.

Hermannus Fabronius in Hist. mundi Part. 2,

etiamnum apud nos supersunt, Viris etiam exterarum natio- num Clarissimis, nempe *Saxone Grammatico(α) Doct. Olao Wor- mio* (β) *Petro Undalense* (γ) & nuper etiam Consultissimo Viro, & de antiqvitatibus Islandicis egregiè merito *Doct. Petro Rese- nio*(δ) cæterisq; qvibus hac de re aliqvid constat. Qvis qvæso existimet adeò socordes eos fuisse, ut res momenti tanti ad Pa- triam spectantes, silentio præterierint, aut prorsus neglexerint, qvum interim tam hoc ipso anno, qvo hæc gesta feruntur, nem- pe 1380. qvàm ante & post eundé, plurima, etiam minuta, domi forisq; contingentia, puta: *anni diversas tempestates, annonæ ca- ritatem, Eclipses luminarium, inundationes* etiam alibi factas, *morbos Epidemicos, Magnatum* & alioqvi *Præstantium virorum funera, &c.* notasse animadvertantur. Deinde *Zichini* istam *Islan- diam* à nostra satis superq; distingvunt ac removent, septem i- stæ Insulæ, qvas omnes habitatas, populosas satis, ac benè ma- gnas, (*præsertim Bressam tot militibus tanto temporis spatio alendis idoneam*) ex historia haud obscure colligere licet. Qvæ autem nostræ *Islandiæ* adjacent *Insulæ*, omnes exiguæ sunt, & plurimæ desertæ, ac incultæ; qvædam scopuli instar sunt, gramine desti- stitutæ & prorsus inhabitabiles. Ut jam *Septenarium* istum In- sularum numerum, satis inconvenientem prætercam, plures e- nim ejusmodi exiguas Insulas nostra *Islandia* agnoscit. Illud autem silentio prætereundum heic minime duxi qvod in se- ptem istarum Insularum *titulis & nomenclationibus*, ne vel apex qvidem minimus insit, qvi lingvam Islandicam (*qvam tamen eandem & invariatam semper retinuisse, & etiamnum retinere no- strates, extra omne dubium est*) referat, vel saltem redoleat. Qva- propter inferre, & concludere haud dubitamus, *Islandiam* i- stam *Zichinianam* aut nullam esse, aut si est, â nostrâ diversissi- mam.

lib. 2. fol. 55. Pontan. de Insulis Borealib. &c. Islandorum diligentia Historica.

(α) In Præfatione ad hystor. Dan.

(β) In Præf. ad Chronicon. Norveg.

(γ) In Hist. Norveg.

(δ) In Præfatione ad Eddam. s. Mithologiã Veterũ Septentrionalium, editã Hafniæ An. 1665.

§. 4. Idem hic esto judicium de *Entgrovvelandiâ* vel *Ent- gronlandiâ*, cujus in relatione suprà allata fit mentio, qvam Au- thores, pleriq; pro *Gronlandiâ*, qvæ Islandorum colonia fuit, ab Erico Ruffo, Anno Christi 982. detectâ, ac primum habitatâ; haud convenientùs arripiunt. Extant enim apud nostrates non solum annales ac historiæ rerum Gronlandicarum ab annô modò

Entgronlãdia pro Grõlandia minus accuratè arrepta à Mercatore in Atl. min.

in Desc. Pol. modò citato 982, qvô primum inventa fuit, ad annum 1379, qvò postremum nobis de incolis terræ istius aliqvid constitit; sed etiam Gronlandiæ, in qvantum culta fuit, Chorographica aliqvalis descriptio, qvæ omnia si conferantur cum istis, qvæ in historia *Zenorum* de *Engroenlandiâ* referuntur, non tantùm distare æra lupinis, aut candida nigris, vel solum propter hortos illos, etiam in brumâ florentissimos, qvilibet fatebitur. Sed de *Homonymiâ* tantum. *Ad Synonymiam (qvæ non minus varia, qvàm notatu haud indigna sese offert)* eruendam properamus.

Antarct. Schulthes. in Synops. Geog. p. 490. Mosemanno Hist. Mundi part. 2. f. 56. & cæteris pl.

Synonymia.

§. 5. *Appellationes Islandiæ* tres potissimum Clarissimus *Arngrimus Jonas* recenset in *Crimogæa*, Annalium Islandicorum fidem secutus, qvarum 1. est *Snelandia*. 2. *Gardarsholmia* & 3. *Islandia*, qvod triplex nomen ab *Inventoribus* suis sortitam esse tradunt dicti annales. *Primus* horum fuisse fertur *Naddochus*, natione Norvegus, Pyrata insignis, qvi ex Norvegiâ Insulas Færœnses versus *(ubiplerumq; diversari solitus)* contendens, ad litus orientalis *Islandiæ (postmodum sic vocatæ)* delatus est, ubi cùm animadvertisset, altiorum montium cacumina sub autumnum nivibus obduci, â nive Insulam denominavit, vocavitq; Snæland / *id est, terram nivosam*.

Primus Islãdiæ inventor, Naddochus, circa Ann. Christi 860.

§. 6. *Secundus* Islandiæ Inventor fuit *Gardarus*, natione Svecus, qvi *Hebrides* versus navigans, Uxoris suæ patrimonium indidem repetiturus, similem fertur fortunam expertus, atq; ad idem orientale Islandiæ latus propulsus, ubi exactâ Hyeme ad suos reversus, terram illam, neglecto Snælandiæ nomine, de suo, Gardarsholm / id est, *Gardari Insulam* appellavit.

Secund. Isl. Inventor Gardarus, Anno 864.

§. 7. Tertius deniq; Insulæ Investigator & Eponymus, juxta citatos annales, *Floco* fuit, & is etiam Norvegus & Pyrata famosissimus, qvi terræ novæ, & â superioribus inventoribus deprædicatæ, cupidus, ex portu Norvegiæ, Flokawog *(de ejus nomine sic dicto)* non procul ab *Hordalandia* sitô, solvisse, inq; Insulam primùm *Hetlandiam* navigasse fertur. Cum autem pixide destitueretur nauticâ, *(cujus usus orbi huic magis Arctoo nondum innotuerat)* pro felici itineris suscepti successu, Diis suis victimas litavit, adhibitisq; sacro tribus corvis *(à qvibus postea* Rafna Flokt / vel, *corvorum Floco dictus est)* eosdem sacrificio intulit, & qvasi

Tert. Isl. Inventor Floko.

Flokonis superstitio.

& qvasi consecravit. Credidit n., fore, ut illis eâpropter auspicatissimis uteretur propositi itineris indicibus. Nec fefellit hominem Ethnicum superstitio isthæc. *Ex Hetlandiâ* enim profectus *Floco*, primum corvum emisit, qvi Insulam statim repetens, indicium navigantibus dedit, qvod *Hetlandiæ* qvàm cæteris terris essent viciniores. *Alter* deinde corvus emissus, qvia in navim rediit, indicio fuit nullam ante vel â tergo conspici posse Regionem. Postremò *tertius* emissus est, qvi subtili visus acumine, terram nautis optatam assecutus, celerrimô ad eam volatu delatus est, cujus ductum dum strenuè seqvitur *Floco*, Insulam feliciter conspicatus atq; ingressus est. Dumqve ibi per hyemem in sinu qvodam (*nunc Watzfiord dicto*) subsistens, animadverteret aliqvando sinum istum ingentibus glacierum crustis seu grumis, ex mari septentrionali adventantibus repleri, nomen tertium â glacie ista Insulæ finxit, vocavitq; Island/i.e., *terram Glacialem*, qvod nomen deinde retinuit & hodienum retinet. Non ergò â *Gelu* & *frigore*, qvô ex parte riget, (*ut vult Mercator*,) neq; â *mari glaciali*, cui vicina est, (*qvæ Olai Magni sententia est*) nominis sui originem trahit *Islandia*; sed â *Glacie* istâ *adventitiâ*, qvæ vulgò *Gronlandica*, ob vicinitatem forsitan Gronlandiæ cum mari glaciali (*unde glacies ista venire creditur*) appellari consvevit. *In Atlant. min. Tab. Isl. pag. 26.* *Lib. 2. Hist. Cap. 3.*

§. 8. *Tribus* itaq; Insulæ hujus nostræ *appellationibus* in medium allatis, atq; explicatis, qvarta seqvitur nempe *Thule*, qvæ ut antiqvissima, ita maximè controversa est; circa qvam tres sese potissimum offerunt opiniones. *Prima* est *Synesii* & *Gyraldi* de existentiâ Thules, qvorum *ille*, an *Thule* aliqva sit, dubitat; *hic* verò nusqvàm comparere scribit. *Altera* est *Munsteri*, *Milii*, *Jovii*, *Peuceri*, *Ortelii*, *Appiani*, *Frisii*, (α) *Magini*, (β) *Schulthesii*, (γ) & cæterorum qvorundam, qvi esse qvidem certam Insulam vel Regionem hoc nomine insignitam statuunt, sed aliam tamen qvàm Islandiam, qvibus non modò favet Clarissimus *Arngrimus Jonas*, (δ) sed sententiam etiam hanc tanqvam pro aris & focis defendit. *Tertiam* deniq; de Thule sententiam fovent: *Thule.* *Apud Mercat. in Atl. min. l.c.* (α) *Apud Arngr. Jon. in specim. Isl, part. 2. memb. 1. & apud Mercat. l.c.*

B Ada-

(β) *Geog. p. 99.* (γ) *In Synops. Geogr. p. 483.* (δ) *In Specim. Isl. & Crymogæa.*

Adamus Bremensis, (ε) Olaus Magnus, (ζ) Nathan Chytræus, (η) Gryphiander, (θ) Stephanus, (ι) Henricus Salmuth, (κ) Bodinus, (λ) Majolus, (μ) Dalechampius, (ν) Casaubonus, (ξ) & cæteri plurimi, *qvorū maximus est catalogus*, qvibus jungas Celeberrimos Viros, *Philippum Cluverium* Geographum peritissimum (ο) & *Johannem Isaacum Pontanum*, (π) Sereniss. Dan. Regis qvondam Historicum gravissimum, qvi omnes & singuli *Thules* nomen *Islandiæ* applicant, eamqve Veteribus celebratam *Thulen* esse, pleno ore asserere haud dubitant, qvæ sententia qvum ipsi veritati haud incongrua esse videatur, sed à plurimis, iisq; eruditissimis viris approbetur, paululum à Synpatriotâ meo Doctiss. *Arngrimo*, recedendum fuit, qvô ipsô Clariss. Viri, de Patriâ suâ præclarè meriti Autoritati nec vel minimùm detractum velle me protestor. Ex rationibus autem plurimis, sententiæ huic militantibus, tres tantum brevitatis ergò (*cui hic qvantum fieri potest studemus*) in præsenti adduxisse sat esto. *Primam* à Thules *latitudine*, *secundam* à *longissimi* in eâ *diei qvantitate*, & *Tertiam* ab ejusdem *Situ* depromptam.

§. 9. *Primum argumentum* à *Latitudine* Thules Islandiæ satis convenienti, ab ipso accipimus (*qvanqvam ex parte inscio*) *Ptolomæo* (ρ) qvi litori Sarmatico in Russiâ, & Thulæ Insulæ communem tribuit parallelum. Verum cum *Ptolomæus* homo Ægyptius, septentrionaliora nostra, teste *Bertio*, (σ) accuratè explorata non habuerit, adeoq; nec certum nobis locum per qvem parallelum istum ductum voluerit, determinare potuerit, accuratiores recentiorum observationes, ac descriptiones litoris istius Russici nobis notandæ erunt. *Sarmatiam* autem *Europeam* Celeb. *Cluverius*, (τ) *Maginus*, (υ) & alii inter *Obium* fluvium & sinum *Granvicum* intercludunt. Si jam in mappâ Geographicâ à litore Sarmatiæ, quod Oceano hyperboreo seu glaciali alluitur, paululum profecti, apprehenderimus meridionalissimum litoris istius Russici parallelum, qvi per litus *maris albi* ducitur, patebit 65. latitudinis gradum, Islandiæ communem, esse inter-

ter-

(ε) Apud Arngr. Jon. In spec. Isl. part. 2. meb. 1. p. 103.
(ζ) Lib. 2. Hist. Cap. 3.
(η) In Delit. itin. in Europ. p. 33.
(θ) In tract. de Insf. c. 32.
(ι) In Diction. Geograph. p. 1145.
(κ) Com. in l. 2. tit. 1. Pancirol. pag. 11.
(λ) In Meth. hist. p. 178. & 179.
(μ) l. 1. Cav. Dier. Coll. 14. p. 471.
(ν) Com. in l. 2. Plin. c. 75. p. 113.
(ξ) Apud Arng. Jon. in Spec. Isl. pag. 91.
(ο) Antiq. Germ. l. 3. Cap. 39. pag. 656.

(π) In Chorog. Dan. descript. p. 742. & seqq. *(ρ) Lib. 3. Geog. Cap. 5. Tab. 7.* *(σ) In Præfat. ad Ptol. Geogr.* *(τ) Lib 4. introd. Geog. Cap. 21. p. 245.* *(υ) In Geogr. p. 224.*

terceptum, vel si magis ad Septentrionem deflectentes, suspicemur, parallelum istum Ptolomaicum per *Capo de B.Fortuna* ad sinum *Granvicum* transire, videbimus iterum Sarmatiæ istius litus 66. graduum, & si qvod excedit, elevationem habere, qvæ non minus Islandiæ convenit. Qvamvis autem borealiora Sarmatiæ litora Islandiæ latitudinem excedant, majorem nihilominus cum Islandiæ latitudine ibi deprehendimus convenientiam, qvàm ullius alterius Insulæ sub 63. elevationis gradu, pro Thulæ arreptæ. Qvapropter merito cum *Cluverio* colligimus, *Ptolomæum non tam falsum habuisse Magistrum, qvando Sarmatiæ litus & Thulen, eodem subesse parallelo scripsit, qvam qvod gradum latitudinis huic parallelo 63. attribuerit*, hac enim ratione Sarmatiæ istius litus juxta Russiæ Oppida, *Waga, Permavvelick, &c.* fingendum esset, qvod tabulas inspicienti absurdum esse patebit. *lib.3. Germ. Antiq. Cap. 39. p.656.*

§. 10. Sed majori nobis hic occurrit subsidio *Pytheas Massiliensis*, qvi ipse Insulam lustrasse fertur, postqvam enim apud *Strabonem* Thulen Insulam esse Septentrionalissimam dixerat, manifestius & acuratius de ejus situ & latitudine sic disserit; παρ᾽ οἷς ὁ αὐτὸς ἐστι τῷ ἀρκτικῷ ὁ θερινὸς τροπικὸς κύκλος, qvod sic vertit Strabonis Interpres *Xilander: ubi* (in Thule) *Tropicus æstivus Arctici circuli vicem gerit*. Jam notum est ex doctrinâ Sphæricâ apud *Mæstlinum*, (α) *Feldium*, (β) *Alstedium*, (γ) *&c.* Veteres Circulum arcticum mutabilem habuisse, & pro poli elevatione nunc majori nunc minori â polo distantiâ descripsisse, nimirum circulus iste arcticus ipsis erat, qvi æqvatori parallelus commissuram Horizontis & Merediani tangeret. Si ergo Tropicum æstivum in commissurâ Horizontis & Merediani ita constitutum esse cogitemus, vel positum sphæræ talem nobis proponamus, ut Tropicus Horizontem stringat seu radat, patebit nobis & ad oculum erit demonstratum 66. latitudinis gradum esse interceptum, qvi qvia cum elevatione poli in numero semper convenit, confirmat nobis, qvam exacte *Pytheas Massiliensis Thulen* suam ibi locaverit, ubi nunc novimus sitam esse *Islandiam*.

Pythea Mass. de latitud. Thul. testim. Rerum Geogr. l.2. p.78.

(α) *Lib. 2. Astron. part. 2. p.162.*
(β) *In Comp. Doct. Sphær. p.2. c.6. f.26.*
(γ) *part. 1. Uranosc. c.2. p.1004.*

§. 11. *Alterum argumentum* â longissimi Thulensis Diei qvan- *Pomp. Mela*

Situ Thul. & longiss. diei qvant. *qvantitate* depromimus, de qvâ sic differit Autor egregius *Pomponius Mela: Thule Belgarum* (Bergarum rectius scribi putat Pontanus) *litori opposita est, Graiis & nostris celebrata carminibus. In ea qvod Sol longe occasurus exurgit, breves utiq; noctes sunt, sed per hyemem, sicut alibi obscuræ, æstate lucidæ, qvod per id tempus, jam se altius evehens, qvanqvam ipse non cernatur, vicino tamen splendore proxima illustrat: per solstitium vero nullæ, qvod tum jam manifestior, non fulgorem modò, sed sui qvoq; partem maximam ostentat.* Hæc ille. Vix potuit Autor hic qvantitatem diei Islandici acuratius describere. Est enim in Islandia, præsertim in borealioribus Insulæ locis, æstivo tempore nox exigua & admodum conducta, imo tempore ipsius solstitii æstivi, in Septentrionalissimis qvibusdam oris sol continuis 24. horis, vel totus vel maxima sui parte supra horizontem conspicuus est. Ad meridionale autem Insulæ latus dies longissimus ad 20. horas cum semisse, & si qvid excedit, extenditur, unde etiam videre est non ita multum errasse *Ptolomæum* dum Thulæ suæ 20. horarum diem tribuit, vix enim alteri in tractu isto Insulæ, dies ista commodius applicari poterit.

De situ orbis l. 3. Cap. 6. p. 126. & 127.

In Corogr. Dan. Desc. p. 744.

L. 8. Geogr. c. 5. p. 182.

Diniæ testim. de qvant. Diei Thulensis. §. 12. Qvantum etiam *Thule* Insulæ *longissimum diem* tribuerint alii antiqvissimi Scriptores, ex illo non obscure colligitur qvod ex *Antonii Diogenis* XXIV. de Thule libris, annotavit *Photius*, ibi enim *Diogenes* cum antiqvioribus scribit: *Diniam in Thule Insula aliqvandiu commoratum observasse, ultra Thulen Diem inveniri unius mensis, aliumq; qvà breviorem qvà longiorem.* Jam teste *Cluverio* & *Schulthesio* dies unius mensis, sub elevatione poli 67°. 15. habetur, qvæ cum vix decem milliaribus borealior sit qvam Islandiæ, qvid vetat qvæso qvò minùs eadem longissimi diei qvantitas sit *Islandiæ*, qvæ secundum *Diogenem* & *Diniam Thules*, & per conseqvens etiam *Islandia* sit *Veterum* illa *Thule*.

Apud Thylonem in Disput. de Thule §. 25.

Sect. 1. Introd. in Geogr. p. 26. Tab. Clymat.

In Synops. Geogr. Tab. Clym. p. 28.

§. 13. *Tertium deniq; Argumentum* nobis subministrant Autores antiqvissimi ex *situ Thules*, qvem adeo Islandiæ convenientem describunt, ut non tam indigitasse, qvam indice digito eam commonstrasse videantur. *Pytheas* enim *Massiliensis* apud *Strabonem*, *Thulen sex dierum navigatione à Britanniâ versus Septen-*

ptentrionem abesse ait, vicinam congelato mari. A qvo diversum haud sentit *Isiodorus*, dum *Thulen* esse ait *ultimam Oceani Insulam, inter Septentrionalem & Occidentalem plagam, ultra Britanniam.* Qvid qvæso Autores hi de Islandiæ situ scribere potuerunt accuratius? qvid manifestius? Sex dierum enim navigatione *â Britanniâ* abesse eam, luculenter testatur crebra Britannorum in hanc Insulam hoc nostro tempore navigatio, sex dierum spatio haud rarò confecta, qvum nimirum perpetuò freti ventô secundô, nullum itineris impedimentum experti fuerant. Vicinam etiam esse Islandiam mari glaciali, qvippe qvod sub circulo Arctico (*cui adjacet Islandia*) suum sumit initium, extra omnem dubitationis aleam est. De situ deniq; ejus ultra Britanniam, versus Septentrionem (*ut placet Pythea*) vel (*ut Isiodorus ait*) inter Septentrionalem & Occidentalem plagam (*qvod magis convenit*) nihil aut certe parum errasse hos Autores certum est, dum modo id notetur *Isiodorum* pro *occidentali plaga* hic non intelligere *occasum æqvinoctialem*, sed *solstitialem æstivũ*; id qvod Celeberr. *Cluverius* & *Pontanus* testantur. Qvod autem *Isiodorus* ultimam Oceani Insulam Thulen faciat, inde est qvod veteres terrarum ultra Thulen nullam habuerint cognitionem, unde *Ptolomæus*, parallelum qvi per Thulen ducitur finem maris cogniti & terræ cognitæ terminum esse ait.

Lib. I. Rer. Geog. p. 43.

Apud Arng. Jon. in Spec. Isl. p. 2. m. 1. p. 99. & apud Thilon. in Disput. de Thul. Sect. 1. §. 43.

In Antiq. Germ. p. 662

Apud Arng. Jon. in Spec. Isl. p. 100.

Lib. 3. Geogr. c. 5. tab. 7.

§. 14. Cum itaqve vetustissimi hi Scriptores, *de latitudine* Thules, *de longissimi in ea diei qvantitate*, deq; *ejus situ* tanta harmoniâ invicem conveniant, nec reperiatur ulla in hoc tractu Insula cui dictas affectiones melius applicare possimus, ritè & legitimè cum *Cluverio* & *Pontano* cæterisq; eruditissimis Viris, inferimus & concludimus, Veterum illam *Thulen* nostram esse *Islandiam*. Nec desunt etiam ex nostratibus, viri Eruditi, qvi sententiam hanc nostram suo confirmant calculo, inter qvos minime silentio prætereundus mihi est, Excellentissimus Vir *Brynulphus Svenonius* Diœcesis Schalholtensis in Australi Islandia Episcopus Reverendissimus, Vir cum omnigenâ eruditionis laude conspicuus, tum vero Antiqvitatum cognitione Celeberrimus, qvem sententiæ huic nostræ omni ex parte favere, â fide dignis viris accepi.

In Antiq. Germ. l. 3. cap. 39.

In Chorogr. Dan. Desc. p. 741.

§. 15. Con-

Sententiæ contrariæ. §. 15. *Contrariæ sententiæ* paucissimis examinandæ jam veniunt, & *primò* qvidem ea, qvæ Thules *existentiam* in dubium vocat, qvæ cum nullo firmo nitatur fundamento, prolixa non videtur refutatione indigere. Cum enim tanti & tam graves veteres pariter ac recentiores *Geographi*, Thulen suam tàm graphicè tàmq; accuratè descripserint, ac veluti depinxerint, nec non toties jam institutæ repetitæq; *navigationes* eam compererint, de existentiâ ejus qvicqvam amplius dubitare nefas esse videtur. Illorum ergo sententia, qvi Islandiam Thulen esse negant, qvam firmo stet talo videamus.

§. 16. Tot hic ferè de situ Thules sese offerunt opiniones, *Qvot piscibus unda natatur*; adeo, ut vel ob solam Autorum discordiam, hæc de Thule sententia, haud immerito suspecta esse possit. *Ortelius* enim *Scandiam* vel *Thulemarchiam* Norvegiæ, (α) *Hornius*, (β) *Hylam* Scotiæ Insulam. *Johannes Myritius*, (γ) ultimam in ditione Scoti Insulam, Tylens Ey appellatam, Thulen esse contendunt. *Milichius*, (δ) *Bersmannus*, (ε) *Jacobus Pontanus*, (ζ) Thulen unam ex Orcadibus, eamq; ultimam esse ajunt. *Peucerus*, (η) *Maginus*, (ϑ) *Alstedius*, (ι) *Schultbesius*, (κ) *Hetlandiam* pro Thule apprehendunt. *Sebastianus Schroterus*, (λ) unam ex *Farrensibus* per Thulen indigitat. *Screvelius*, (μ) in ultimis Hispaniæ qværendam svadet, ibiq; Civitatem hujus nominis esse ait. Verum qvam vehementer hîc hallucinati fuerint dicti Autores, qvilibet qvi rem accuratius perpenderit, facilè animadvertet. Thulen enim *Insulam* esse vasto circumfusam Oceano, omnes antiqvissimi Scriptores uno ore testantur, Ergo *Peninsula* non est, vel continens, qvalis Schandia vel Thulemarchia Norvegiæ. *Insulam magnam* esse tradunt (*Ptolomæus enim per tres ferè gradus in latitudine, per 2. autē & juxta alios* (ν) *per 5. in longitudine eam extendit*) ergo exigua non est Insula qvalis *Hyla* Scotiæ, *Hetlandia*, una *Orcadum* vel *Farrensium*. Insulam etiam *Septentrionalissimam, mari glaciali vicinam* esse Thulen ex allegatis supra Autoribus manifestum est, id qvod recensitis jam

(α) *In Theat. Orb. Tab 98.*
(β) *In introduct. ad Geogr. antiq. p. 7. & 17.*
(γ) *ap. Arngr. Jon. in com. Isl p. 8.*
(δ) *Com. in l. 2. Plin. c. 75. p. 370.*
(ε) *Com. in l. 1. Georg. Virg. p. 33.*
(ζ) *Com. in eundē Virg. locum p. 236.*
(η) *De Dimension. terræ p. 57.* (ϑ) *Geogr. p. 99.* (ι) *l. 3. Geog. cap. 2. p. 1429.* (κ) *In Synops. Geog. p. 483.* (λ) *In Mercur. Cosmo. p. 181.* (μ) *Com. in l. 1. Georg. Virg. p 77.* (ν) *Ap. Thilō. in disp. de Th. §. 7. sect. 1.*

sam Insulis, multo minus provinciæ alicui vel oppido *Hispaniæ*,
commodè applicare nemo, ut opinor, poterit.

§. 17. Sed *Thules* nomen ab *Islandia* his potissimum ratio- [Lib. 1. Geogr. cap. 3.]
nibus arcere satagunt. 1. *Qvod Ptolomæus Thulæ suæ 63. latitudi-*
nis & 29. longitudinis gradum tribuat. 2. Qvod Plinius ex Pythea [Lib. 2. Nat. Hist. c. 75.]
Massiliense, diem longissimum in Thule sex mensium, ipse vero unius
mensis esse dicat. 3. Qvod Procopius decuplo majorem, Britannia, & [L. 2. de Bell. Goth. p. 92.]
tredecim populis totidemq; Regibus inhabitari Thulen dicat. Qvæ
omnia qvum Islandiæ minime conveniāt, alibi Thulen qværen-
dam esse contendunt. Verum enimvero necesse est ut hic cum
Clariss. *Petro Spormanno fateamur, veteres Geographos in descri-* [In Disp. Georg. Hafn. propos. An. 1638.]
ptionibus terrarum Septentrionalium, non parum qvandoq; errasse,
nec non (*qvod de Procopio asserit Cluverius*) *falsa veris nonnun-*
qvam immiscuisse, cum pleriq; experientiâ destituti, scientiam
hanc suam ex relatione (*qvæ plerumq; fallax esse solet*) magnam [L. 3. Germ. Ant. cap. 39. pag. 662.]
partem hauserint. Qvæ igitur de *Procopio* Clariss. *Cluverii* sen-
tentia est, eadem nostra de veteribus istis Geographis esto,
nempe: *Fides illis sit, qvatenus invicem & cum approbatis recen-* [Lib. c. p. 395.]
tioribus Historicis conveniunt ac consentiunt, ubi errant communi
illa excusentur ratione; qvod homines adeo ab orbe hoc arctoo dissi-
ti, remotiora Septentrionis accuratè cognita explorataq; habere non
potuerint. Id qvod etiam ipse haud invitus agnoscit atq; con-
fitetur Ptolomæus, dum ait; *Qvasdam terras non ita ut sunt, ob* [In Geog. c. 5. p. 6.]
ignorantiam eorum qvi observationes exceperunt descriptas esse.
Qvod autem *diem semestrem* ex Pythea Massiliense à Plinio alle-
gatum concernit, notandum est, qvod mendam ibidem irre-
psisse existiment nonnulli Commentatores. Animadvertit e- [Com. in L. 2. Pl. cap. 75. p. 113.]
nim apud *Dalechampium Pintianus*, pro *senis mensibus* legendum
esse *senis diebus*, & *Longolius* apud eundem, (*qvod magis convenit*)
vetusti codicis fidem secutus *binis diebus* continuum esse diem
legit, atq; sic si iste locus fuerit restitutus, non ita absurda vel o-
mni fide destituta videntur dicta. Neq; verisimile est *Pytheam*
Massiliensem Thulæ tantum diem assignasse, qvum latitudinem
66. gradus excedentem, eidem (*ut supra diximus*) non tribuerit. [§. 10. hujus Th.]
Plinii autem ipsius *diem menstruum* (*dummodo rectè legatur*) fa-
cile excusat, maxima illa Thules à *Plinii* patriâ distantia, nam si

crasse

craſſe ſatis de Regionibus ſuo orbe propinqvioribus, puta *Norvegia Scandia, &c.* teſte *Pontano* erravit, qvis de remotisſima *Thule*, facilè errare eum potuiſſe magnopere mirabitur? *Procopii* autem *Autoritas*, nobis hoc loco non tam ſacra eſt, qvin eam ut viribus deſtitutam omnibus cum Clariſſ. *Cluverio* & *Pontano* rejiciamus. Qvis enim non videt, qvam ineptè *Thulen* cum *Scandinavia* Procopius hic confundat, & ſic *peninſulam* eam faciat, qvæ omnium Geographorum teſtimonio *Inſula* eſt?

Lib. ſæpius citato p. 745

lib. 3. Germ. Ant. cap. 39. pag. 661.

In Chorog. Dan. Deſc. l. ſup. c.

Crym. l. 1. c. 1. §. 18. Obſtat autem præcipuè Clariſſ. *Arngr. Jonæ*, qvod juxta *Annales* Islandicos, ante Annum Chriſti 874. inculta jacuerit *Islandia*, & circa Annum 860. â *Naddocho Norvego* primum *Lib. 2. Hiſt. Nat.* inventa fuerit. *Thule* autem inter Veteres, non ſolum *Plinio*, & qvi Plinio antiqvior, *Pytheæ Maſſilienſi*, ſed etiam *P. Virgilio* cæ- *Ap. Strab. l. c.* terisq; in ore & ſcriptis freqvens fuerit, Thulen igitur Islandiam (*qvippe qvæ multa poſt ſecula inventa ac habitata primùm* *L. 1. Georg.* *fuit*) absq; annalium periculo & perturbatione eſſe non poſſe exiſtimar. Verum in vado res eſt, nec qvicqvam periculi Annalibus hinc accidit. Aſſerunt enim illi Islandiam antè Annum 874. habitatam non fuiſſe, inventam autem, vel aliqvot ante annum iſtum ſeculis non negant, qvinimo haud obſcurè innuunt, ante primos illos Inſulæ *Inventores* Norvegos ſupra memora- *§. 5. 6. 7.* tos, *aliis* qvibusdam innotuiſſe Islandiam, dum in litore orientali, *Piratarum*, ſeu potius *Piſcatorum* qvædam monumenta, nempe: *Caſas piſcatorias & ſpecus qvosdam ſubterraneos, lapidesq́ pro foco in litore congeſtos*, item *nolas, cruces ligneas, libellos, Irlandico idiomate ſcriptos (unde, Irlandos fuiſſe iſtos Piſcatores colligere licet) & alia qvædam* â Norvegis iſtis reperta eſſe perhibent. Habemus etiam hic noſtræ ſententiæ faventem Doctisſimum Virum M. *Runolphum Jonam, Islandum*, Scholæ *Holenſis* in Islandia, *Hafn. publ. habita Anno 1651.* ac deinde *Chriſtianſtadenſis* in Scania qvondam Rectorem dignisſimum, qvi Diſſertationi ſuæ de Lingva veterum Septentrionalium, hoc annexit Corollarium: *Satis ſibi Islandorum annales conſtant, ſi vel maxime Islandia olim Thule fuerit appellata.* Sed *Onomatologia* nos hactenus detinuit, ad *Pragmatologiam* progredimur.

§. 19. In

§. 19 In Descriptione nostra *Primò* Islandiam per *Insulam* tanqvam *genus* definimus. Et Insulam quidem esse, præter communem Geographorum veterum pariter ac recentiorum consensum, Nautarum etiam qvi eam hoc tempore navibus crebrò freqventant, experientia testis est. Sed ut magis eam adhuc determinemus,& accuratiore delineemus penicillo, *differentiam* ejus primò communem seu genericam, ac mox deinde propriam seu specificam adjicimus, *illa* exprimitur dum *Insulam Oceani Septentrionalis* esse dicimus; *hæc* autem, *dum inter 5. & 24. longitudinis, nec non 64. & 67. latitudinis gradum* eam collocamus. Per *illam* Islandia ab aliis Insulis qvæ in Oceano Eoo, Occiduo & Notio reperiuntur; per *hanc* ab iis qvas Septentrionalis Oceanus continet, discernitur.

§. 20. In *longitudine* autem & *latitudine* Islandiæ assignanda, admodum variant Autores. *Zieglerus* (α) inter 20. & 30. gradum longitudinis, nec non 63. & 69. latitudinis eam locat. *Maginus*, (β) eam situat inter 65. & 69. latitud. gr. *Munsterus*, (γ) longitudinem ejus 20°. latitudinem vero 68. fere graduum ponit. *Johannes Myritius*, (δ) Per medium Islandiæ 69½. gr. lat. numerat. *Crantzius & Chytræus*, (ε) cum nonnullis aliis longitudinem â gradu 352. & latitudinem 68°. numerant, qvibus fere consentit *M. Thilo* dum inter 353°. & 12°. longitudinis, nec non inter 64°. & 68°. latitudinis suam Thulen sive Islandiam collocat. Verum cum nullus ex allegatis Autoribus verum Islandiæ situm collimasse videatur; sed qvidam potius toto cœlo erraverint; nos aliam, tam *longitudinem* qvam *latitudinem* attulimus, utramqve correctiorem, *hanc* ex virorum Eruditorũ accurata observatione oculariq; experientiâ, *illam* ex Mappis Geographicis recentioribus & correctioribus excerptam.

(α) Apud Arng. Jon. in Com. Isl. pag. 1. sect. 1. p. 5.
(β) Apud Thilon. in disp. de Thule §. 13.
(γ) l. 4. de Germ p. 814
(δ) ap. Arngr. Jon. in Com. Isl. sect. 1. p. 5.
(ε) ap. Thil. l. c.

§. 21. Circa *longitudinem* non ita diversum sentimus â *Crantzio*, *Chytræo* & *Thilone*, id qvod patebit, si Meridiani invicem concilientur. *Illis* enim primus meridianus per Insulas *Canarias*, cum Ptolomæo, ductus esse videtur, *qvi nobis* cum recentioribus per Insulas *Flandricas* transit. Cum Thilone autem in graduum interjacentium numero consentimus. *Latitudinem* autem Islandiæ â nobis allatam probamus, 1. â *latitudine Bessa-*

staden-

Anatom. Blefk.Part. 2.p.36. *ftadensi* in meridionali Islandia, qvæ ibidem observata est 64°, ferè. Cum a. locus iste ad ipsum meridionale Insulæ litus situs sit, & vix se meridianaliora alia agnoscat, minorem 64. gr. latitudinem Islandiæ tribuere non possumus. Deinde ab *Elevatione poli*, qvæ *Hola* in boreali Islandia 65°. 40. observata est, nostram probamus Islandiæ latitudinem. *Hola* autem â litore boreali octo præter propter milliatibus distat, qvo litore cum multò borealius aliud Islandia non habeat, nisi promontorium Langanes (*qvod tamen ultra qvatuor vel qvinq; milliaria versus polum magis porrectum non est*) asserere non dubitamus latitudinem Islandiæ, non solum intra 67. gr. esse, sed ne qvidem ultra 66. 30. sese multum extendere. *Errant* igitur Autores supra allegati, dum qvidam 68. qvidam 69. latitudinis gradum Islandiæ adscribunt, hac enim ratione diem longissimum bimestrem fere habere deberet, (*sub gradu enim elevationis 67. 15. unus mensis; & sub 69°. 30. duorum mensium longissimus dies juxta Cluverium & Schultesium habetur*) qvem cum viginti qvatuor horis longiorem vix usqvam agnoscat Islandia, nemo non videt tantam ei neqvaqvam competere latitudinem. *Errant* etiam hic qvi circulum arcticũ per mediũ fere Islandiæ transire tradunt, inter qvos sunt *Neander*, (a) *Alstedius*, (β) *Varenius* (γ) & recentiorum plurimi. Cum enim circulus iste, *juxta Geographos*, tantam â Polo æqvatoris habeat distantiam, qvanta maxima solis declinatio est, nempe 23°. 30. per 66°. 30. lat. adeoq; extra Islandiam ad latus nimirum ejus boreale describendum esse circulum istum patet.

Comm. Isl. Part.1.sect.1

In introd. ad Geogr. Tab. Clym. f. 26.

In Synops. Geogr. Tab. Clym. f. 28.

(a) De orb. terr. p. 208.

(β) l. 3. Geog. c. 1.

(γ) l. 1. Geog sect. 3. c 5. p. 76.

§. 22. Addimus præterea melioris declarationis ergò in descriptione nostra, nonnihil de *amplitudine* Islandiæ *qvod nimirum omnes Insulas, in tractu illo cognitas, magnitudine suâ vincat*. Reperiri autem in tractu illo & vicino circa Islandiam, Insulas complures nullum est dubium. Harum aliæ sunt Islandiæ *viciniores*, aliæ *remotiores*. Ex vicinioribus præcipuæ sunt Westmanna Eyar versus meridiem, Gunnbiarnarsker vel Gunnbiarnar Eyar ad occasum, KolbeinsEy & GrymsEy versus Septentrionem, nec non Papey ad Orientem qvarum duæ tantum sunt cultæ WestmannaEyar & GrymsEy cætere incultæ, qvantitas

Insulæ circa Islandiam.

autem

autem harum omnium respectu Islandiæ perexigua est. Remotiores sunt: *Insulæ Farrenses* vulgo Far Eyar vel Færö/ ab ortu solstitiali brumali sed neqve horum qvantitas cum Islandiæ qvantitate comparanda venit. Est etiam, si mappis credendum non ita procul ab Islandia Libonotum versus *Frislandia*, Insula haud exigua, sed minor tamen Islandiâ, id qvod ex mappis patet. De existentia ejus dubitat *Johannes Buno*, in notis ad *Cluverium*, *Mercator* autem in *Atlante minore* edito Anno 1633. Anglis non ita pridem rursum innotuisse scribit, qvanqvam (*Referente Zeillero*) in Atlante Johannis Jansonii Anno 1644. edito, rotundè negetur aliqvam *Frislandiam* sub polo arctico (*ut somniaverint qvidam*) reperiri. Sed de ejus existentia aliis judicandum relinqvimus, nobis nihil certi de ea constat. *Gronlandiam* etiam non procul ab *Islandia* sitam esse certum est, & magnitudine sua Islandiam longè superare. Verum qvum nemini hucusq; constiterit, eam undiq; mari circumcingi teste *Cluverio*, & *Schultesio*, sed potius *annales* vetustissimi, non ita pridem in patria mihi visi, continentem esse affirment, nos eam ex Insularum numero exemptam hic volumus, & *peninsulam* potius & cum *America* continentem, cum *Orantio Fineo & Vopellio*, esse statuimus, id qvod etiam probare videntur *animalia* varia, nempè: *Alcæ, Capreæ, Cervi, &c.* (*ut Ursos & Vulpes taceam*) ibidem deprehensa, qvæ in Insulis incultis haud reperiri certum est.

Insulæ Farrenses. — *Frislandia.* — *In descr. poli Arctici p. 24.* — *In nova Descr. Regni Danici p. 52.* — *Gronlandia* — *In introd. ad Geog. l. 3. c. 20. p. 254.* — *In Synops. Geog. p. 489.* — *Apud Herman. Fabronium Mosemannum in Nova mundi hist. part. 2. l. 2. p. 55.*

§. 23. Circa *magnitudinem* Islandiæ discrepantem adeò ducunt calculum Autores. *Georgius Fournier*, (α) prope centum milliar. in longitudine, & 42. in latitudine Insulam extendi scribit. *Mercator*, (β) longitudinem ejus 100. milliaribus & latitudinem 65. exprimit, cui qvà longitudinem *Ortelius*, (γ) qvà latitudinem *Gönlitius*, (δ) & *Thilo*, (ε) consentiunt. *Olaus Magnus* (ζ) *Crantzius*, (η) *& Chytræus*, (θ) à gradu 352. ultra centum milliaria versus ortum Insulam porrigi scribunt. Nos autem (*qvum per 19. ferè gradus in longitudinem Insula extendatur*) cum

(α) *Part. 1. Geogr. l. 1. c. 11. p. 18.* (β) *In Atl. min. Tab. Isl. p. 26.* (γ) *In Theat. Orb. Tab de Isl. 98.*

(δ) *L. 2. Geog. p. 209.* (ε) *In disp. de Thule sect. 1.* (ζ) *l. 2. Histor. c. 3. p. 50.* (η) *Ap. Thil. in disp. de Thul sect. 1. §. 8.* (θ) *Chron. Sax. p. 122.*

cum *Thilone*, (ι) per 120. milliaria Germanica commun. porrectam esse asserimus. Tantam enim qvantitatem 65. parallelus, qvi mediam ferè Insulam transit, per tot gradus continuus, juxta *Cluverium*, (κ) *Schultesium*, (λ) cæterosq; reqvirit. Comprobat hanc Islandiæ *longitudinem* præter mappas correctiores etiam Clariss. *Arngrimus Jonas*, (μ) dum Insulæ longitudinem XX. Dagleider *id est viginti dierum itinera*, ex veteri fama esse ait. Unius autem diei itineri apud nostrates respondent sex milliaria Germanica communia. Si ergo 6. in 20. ducantur, apparebit qvam exactè *Islandiæ* longitudinem à nobis allatam productum exhibeat. *Amplitudo* autem *Islandiæ* secundum *latitudinem* non ubiq; eadem est, hic enim major, illic minor est, qvia vero per duos gradus cum semisse Insulam qvâ latitudinem extendi supra innuimus, *latitudinem* ejus maximam 38. milliar. Germ. non excedere asserimus. *Ambitum* autem Islandiæ Veteres Tolf Tylfter *id est, duodecim dodecadibus, vel si mavis, duodecies duodenis milliaribus Norvegicis* determinabant, qvæ qvia duplicata, 228. Germanicis *juxta Thilonem*, respondent, à vero haud multum abluſisse videtur *Munsterus*, dum *Islandiæ* geminatam *Siciliæ (cujus ambitus teste Mercatore est 150. mill.)* amplitudinem attribuit. Qvum ergo tanta Islandia gaudeat qvantitate rectè eam omnium Insularum in tractu sibi vicino cognitarum, maximam esse asserimus.

(ι) *In disp. de Th. l. c.*
(κ) *In introduct. ad Geog. tab. long. p. 70.*
(λ) *In Synops. Geog. tab. longit. p. 51.*
(μ) *In Crymog. l. 1. c. 1. p. 15.*
Circumferentia Isl. apud Arng. Jon. l. c.
In disput. de Thule sect. 1. §. 9.
In Atl. min. Tab. Sicil.

THESIS II.

Divisio Isl.

Dividitur Islandia trifariam *potissimum. 1. Juxta qvatuor mundi cardines, in qvatuor partes seu qvadrantes. Septentrionalem, Orientalem, Australem & Occidentalem. 2. Ratione regiminis Ecclesiastici in duas Diœceses: Holensem & Schalholtensem. 3. Ratione regiminis Politici in 12.* ἐπαρχίας *seu Provincias.*

§. 1. *Descriptionem* Islandiæ non ineptè excipit ejus *Divisio*, qvam triplicem in Thesi proponimus. *Prima* est qvâ dividitur tota Insula in qvatuor *partes*, qvarum maxima & qvantitate & ho-

& hominum freqventiâ gaudet *Septentrionalis*, lingva Islandis vernacula Norlendinga Fiordungur dicta, i.e. *Septentrionalis* seu potius *Septentrionalium* (incolarum) *qvadrans*. Hujus *termini* sunt: versus *Occidentem*, sinus Rutafiordur; ad *Orientem* promontorium Langa Nes. *Meridiem* versus tesqvorum vasta deserta secundum longitudinem Insulæ porrecta. *Altera* deinde pars *Orientalis* vulgo Austfirdinga Fiordungur (*corrupte apud Mercatorem & alios* Austlendinga Fiordungur) non admodum populosa, sed post Septentrionalem latissime sese extendens, *terminatur* versus *Septentrionē* promontorio Langa Nes/ versus *meridiem* fluvio Jokulsaa a Soleymasandi/ versus *Occidentem* tesqvorum desertis. *Meridionalis pars* (vulgo Sunnlendinga Fiordungur) *terminos* habet versus *ortum* Jokulsaa in desertis Soleymasandi; versus *Septentrionem*, tesqva per mediam Insulam interjecta; ad *Occidentem* notabilem fluvium *Albis* nomine insignitum, qvi in sinum Borgarfiord sese exonerat. *Occidentalis* deniq; Islandiæ pars seu *Qvadrans* vulgò Westfirdinga Fiordungur (non Westlendinga) ab *Australi*, fluvio *Albi*, â *Septentrionali* autem, sinu Rutafiord discriminatur.

Norlendinga Fiordungur vel Septentrionalis qvadrans. Austfirdinga Fiordungur / *s. Orient. Qvadr.* Sunnlendinga Fiordungur / *vel Septentrional. Qvad.* Westfirdinga Fiordungur / *vel Occident. Qvad.*

§. 2. *Ratione regiminis Ecclesiastici* Islandiam etiam dividi diximus in duos *Episcopatus s. Diœceses*, qvarum altera *Schalboltensis*, (vulgo Skalholts Stigte) tres qvadrantes complectitur, *Orientalem*, *Australem* & *Occidentalem*: *Holensis* autem (Holastigte Islandicè) unico qvadrante nempe *Septentrionali*, eo qvod ille amplissimus & populosissimus sit, contenta est; unde etiam hęc pars qvatuor ἐπαρχίας complectitur, cum Orientalis tantū duas & reliqvarum qvælibet tres habeat, atq; ita tota Insula in XII. *Provincias* seu *præfecturas*, (qvas Thing vel Syssur appellant) dividitur. Nomina earum ut in Cod. LL. habentur hæc sunt: in *Orientali Islandia*; Mula Thing. Skaptafells Thing. *in Meridionali*: Rangaar Thing. Arnes Thing. Kialarnes Thing. *In Occidentali* Thueraar Thing. Thornes Thing. Thoschafiardar Thing. *In Boreali*: Hunawatz Thing. Hegranes Thing. Wodlu Thing. & Thing Eyar Thing. Solet etiam præterea, qvælibet ἐπαρχία s. *Provincia* subdividi in aliqvot *Provincias minores*, qvas Reppa appellant. Sed de hisce prolixius Clariss. *Arngrim. Jonas* in Crymogæa.

Schalboltensis Diœcesis. *Holensis Diœcesis.* *Provinciæ Isl. XII.* *Tit.* Thingfarar Balck *cap. 2.* *Provinciæ min.* *lib. 1. cap. 7. pag. 59.*

Cœli & Soli qvalitas.

Cœlum Islandiæ habet æstivo tempore temperatum, hyeme vero plerumq́; inclementius & ex parte rigens, interim tamen saluberrimum. Solum autem alibi asperum & salebrosum, alibi amœnum & graminis fæcundissimum est.

Aut. de aëris in Isl. asperitate ὑπερβολὴ.
(α) *Introd. ad Geog. l. 3. c. 20. p. 254.*
(β) *ap. Arngr. Jon. in Anat. Blefken. Parte 2. p. 34.*
(γ) *Apud Thilon. in disp. de Thul & Arngr. Jon. l. c.*
(δ) *In Desc. Isl. cap. 1.*
(ε) *In Com. Isl. part. 1. sect. 3. & in Anat. Blefk. part. 2. p. 34.*

§. 1. *Aëris* in Islandia *asperitatem* & *inclementiam*, plurimi Autores, describendo haud parum exaggerant atqve amplificant, qvos inter *Cluverius* ait (α) *damnatam esse hanc Insulam intensissimo frigore perpetuáq; glacie, qvam Munsterus*, (β) *Gemma Frisius*, (γ) *Blefkenius*, (δ) & hos secutus *Schultesius*, cæteriq́; plures, octo integros menses totam Insulam circumfluitare tradunt. Sed hyperbolica nimium hæc sunt, & satis antea â *Clariss. Arng Jona* refutata. (ε) Infestatur qvidem Insula hyberno tempore nivibus qvandoq; largioribus, & cœli rigore, nunc intensiore, nunc remissiore, tanto autem & tam vehementi, ut scribunt Autores isti, & qvi cum iis faciunt, neqvaqvam nec continuus semper ille rigor est, sed blandis etiam Zephyri spiraculis, hybernoq; sole læti dies haud raro immiscentur. Raro etiam aëris illa asperitas ultra sex menses durat, unde Islandi annum in duas æqvales partes dividere consveverunt, qvarum alteram hyemem, alteram vero æstatem appellitant, tanto enim temporis spatio, mitiore plerumq́; aëris constitutione fruuntur. *Glacies* etiam (*qvæ vulgo Gronlandica dicitur*) licet interdum ad boreale Islandiæ latus ventorum vi deferatur, rarius tamen ad Orientale & Occidentale, rarissimè & vix unqvam ad meridionale Insulæ latus conspicitur, adeoq́; nunqvam totam Insulam, nedum integros octo menses circumfluitat. Qvando autem ad boreale latus appellitur (*qvod sæpius contingit*) mora ejus maxime variabilis est, & rarissimè ultra duos menses sese extendit, ante *Martium* enim & post *Aprilem* vix conspicitur. Est etiam qvando multis annis continuis ne in conspectum qvidem Insulæ glacies ista veniat. Utut autem majorem, qvam hæ regiones, Islandia sentiat & experiatur cœli incle-

inclementiam, compensat tamen illam *aëris salubritas* quæ tantâ ibidem est, ut haud pauca morborum genera, quæ hisce in terris freqventia sunt, puta Pestim, Febrim &c. prorsus ignorent incolæ, inde est qvod *nonnulli* Islandi *centesimum*, *multi nonagesimum*, *innumeri* fere *octuagesimum* ætatis annum attingant. *Aëris salubritas.*

§. 2. *Fœcunditatem soli Islandici* qvod attinet, haud inviti agnoscimus & confitemur, eam cum harum terrarum fertilitate minimè conferendam, sed multo inferiorem esse. *Agris* enim, *hortis*, *Sylvis densis*, *celsisq; arboribus* hodiè fere destituitur, ac proinde etiam *variis arborum fructibus*. *Graminis* tamen *fœcunditate pabuliq; bonitate* aliis regionibus non cedit, unde etiam insignem pecorum vim nutrit. Non tn. adeo infœcundum solum habet Islandia, quin etiam *frumenti* ferax sit, id quod non solum historia, quæ priscos Islandos agriculturam exercuisse frumentumq; ibidem multis in locis crevisse tradunt; Sed hodierna etiam experientia testatur. Etenim Ampliss. & Consultiss. Vir Dominus *Gislaus Magni*, Provinciæ Rangarwallasyslu Præfectus Regius & Judex ordinarius, in Prædio suo Hlidarenda/ ubi residet, qvotannis seri curat, metitq; non sine fructu. In locis etiam qvibusdam Islandiæ Orientalis frumentum crescere accepimus. Qvare magis incolarum (qvi piscaturâ qvam agriculturâ rem qværere malunt) incuria qvam terræ sterilitas obstare videtur, qvominus Islandia hodie tantum frumenti incolis suis suppeditet, qvantum usui necessario sufficeret. *Terræ fertilitas.*

§. 3. *Hortos* qvidem rariores habet Islandia, reperiuntur tamen nonnulli *Olerum* aliqvot specierum feraces. *Sylvis* etiam hodie non luxuriat. Olim autem adeo densis consitam fuisse hanc Insulam Sylvis, ut errantes pecudes intra annum unum aut alterum tandem recuperarent, & itinera ac vias publicas cæsis arboribus aperire necessum esset, historiæ testantur. Restant nihilominus ad huc aliqvæ, sed humiliores. Est igitur, ut notat *Mercator*, qvibusdam in locis lignorum aliqvis defectus, qvibusdam autem ita prospexit divina Providentia, ut nullâ lignorum premantur penuriâ, sed illis potius abundent. Deferuntur enim sæpissime ad litus potissimum boreale arbores grandiores, maris æstu ventorumq; turbine ex litore Gronlandi- *Horti* *Sylvæ.* *Vid. Arngr. Jon. in Anat. Blefk. Part. 2. fol. 63.* *In Atl. min. tab. Isl. p. 26.*

landico(*ut creditur*)funditus extirpatæ, in tanta interdum copiâ,ut non solum satis habeant Incolæ, unde ædificia navigiaq; ædificent, aliamq; supellectilem domesticam fabricent, sed aliis etiam communicare haud rarò possint.

Ferrum. *Sulphur.* *Mineralium nonnul. Sp.* *Lap. pretios.* §. 4. An varias *metallorum* species terra Islandica complectatur,non dum satis constat, *ferrum* autem ibidem esse compertum est. *Sulphur* in tanta suppeditat copia,ut aliqvot qvotannis naves onerarias replere possit. Sed hodie non tam freqvens est illa sulphuris avectio. Reperitur etiam ibidem *alumen*, *calx viva*,& alia nonnulla *mineralium* genera. Vidi etiam *lapides* aliqvot *pretiosiores* ibidem repertos, nempe: *Crystallum* optimi generis Adamante Bohemico non multo inferiorem, *Smaragdũ, Jaspidem, Chalcedoniũ*,aliosq; nonnullos. Sed de hisce satis. Libet autem *Erasmi Michaelis* versus de Islandiæ muneribus, à *Mercatore* etiam in descriptione Islandiæ allatos, hîc adjicere.

In Atl. min. p. 28.

Ultima Parrhasias Islandia spectat ad Arctos,
Sub caurum porrecta gradus: non divite tantum
Læta solo,cum vel cæsis occlusa cavernis
Sulphura flava coqvit,mixtisq; extrudit arenis:
Pabula vel latis pecori gratissima pratis
Fundit,& oppletas investit gramine valles:
At vicina etiam solidos cum littora pisces
Nec numeris nec mensura,certisve ferendos
Nominibus stipat,ratibusq; immittere certat.
Proventu siqvidem vario cum excesserit,uno
Hos vincit tamen, & cumulato pisce redundat
Aucta opibus,fortesq; animi complexa colonos, &c.

THESIS IV.

Terra σχέσις seu habitudo.

Terra Islandica freqventibus intumescit collibus,passim etiam in montes editissimos attollitur. Valles autem crebris irrigantur fluminibus. Sunt & passim Fontes calidi,qvos Thermas appellant. Item Lacus, qvorum plurimi piscibus abundant.

Montes notabiliores. §. 1. Ex *montibus*(*qvos plurimos habet Islandia*) *duo* sunt celebrio-

lebriores, *alter* ob insignem celsitudinem Snæfells Jokull vulgo dictus; *alter* autem ob incendia & flammas, qvas interdum evomet, Heckla appellatus. *Munsterus*, (α) *Frisius*, (β) & qvi hos sequntur: *Mercator*, (γ) *Schultesius*, (δ) *&c.* montes notabiliores Islandiæ *tres* faciunt, nempe: *1. Hecklam, 2. Montem Crucis, 3. Helgam* vulgo Helgafell. *Blefkenius* (ε) autem unum ex his montibus, *Helgam* scilicet omittit, idq; optimo jure, *Colliculus* enim est, non *mons excelsus*, id qvod nomen etiam indicat, Fell enim *colliculum* seu potius *monticulum* denotat. Nunqvam etiam, qvod sciam, exarsit iste monticulus, aut (*ut notat Mercator*) flammas & saxa eructavit. *Mons autem Crucis*, cujus mentionem faciunt Autores, nullus est qvi peculiare aliqvid habeat, qvapropter & illum nos hic meritò omittimus.

(α) *ap. Arngr. Jon. in Anat. Blefk. Part. 2. f. 60.*
(β) *ap. eund. ibidem.*
(γ) *In Atl. min. l. c.*
(δ) *In Synops. Geog. pag. 486.*
(ε) *ap. Arngr. Jon. l. c.*

§. 2. Snæfells Jokull est mons Islandiæ Occidentalis, non procul â litore situs, â *nive* nomen habens, qvâ cacumen ejus perpetuo obtectum est, altitudine sua omnes montes, qvos habet Islandia, superare creditur, unde etiam navigantibus sæpenumero haud obscurus directionis index est, per 30. enim milliaria in mari conspici fertur, *fulgure & tonitru* nullo modo notabilis est (*ut nugatur Blefkenius*) sudo qvoq; cœlo summitatem (*secus qvam idem notavit*) omnibus conspicuam habet,

In Atl. m. l. c.

Snæfells-Jokull.

In desc. Isl. cap. 6.

§. 3. Heckla Mons est Islandiæ meridionalis, non tam propter altitudinem, qvam incendia qvæ fovet subterranea & flammas, qvas interdum emittit, notabilis. Mons iste cum furit, pumices cineresqve eructat, tanto fragore, ut tonitrua audiri, vel machinas bellicas grandiores explodi, ad multa inde milliaria existimares. Annotatum est montem hunc aliqvando in sinum Skagafiord (*qvi 30. plus minus milliaribus ab eo dissitus est*) cineres projecisse, hominibus tamen vel pecoribus nocuisse nunqvam audivimus. De monte isto Autores plurimi plurimas prodiderunt fabulas. *Cluverius perpetuum ignem eructare scribit.* (α) Mercator inter alia (β) *Hecklam tantâ saxorum ac cinerum egestorum copiâ omnia longè lateq; replere ait, ut ad vigesimum lapidem terra coli non possit.* Georgius Bruno (γ) *spectra ibidem sese offerre tradit, congressibus notorum tam manifesta, ut nunqvam viventia excipiantur ab ignaris, nec deprehendatur error*

Heckla.

Auth. de Heckla. fabulæ.

(α) *Introd. ad Geog. l. 3. pag. 254.*
(β) *In Atl. m. l. c.*
(γ) *ap. Carmerar. Medit. Histor. cent. 3. c. 77. pag. 56.*

prius-

(ð) *ap. eundem ibidem.*

priusqvam disparuerint umbræ.: Peucerus, (ð) *montem hunc ejulantium miserabili ac lamentabili ploratu personare ait, ut voces plorantium circumqvaq; ad intervallum magni milliaris exaudiantur,* addit ille, *qvod corvorum ac vulturum nigerrima agmina, montem circumvolitent, qvæ ibidem nidulari ab incolis existimentur, cumq; prælia comittantur alibi, aut in qvacunq; parte orbis terrarum cædes fiant cruentæ, excitari clamores atq; ejulatus ingentes, & commoveri horrendos circumcirca tumultus.* Hæc & hujus farrinæ plurima figmenta (qvæ nimis longum esset recensere) Apud Autores istos, & præter hos, etiam apud *Olaum Magnum, Blefkenium,* cæterosq; plurimos reperiuntur. Sed vix unqvam *fabulas Milesias* aut *Gerras Siculas* vaniora habuisse sat scio. *Flammas* ut eructet mons iste perpetuas, tantum abest, ut multis interdum annis continuis ne vel *scintillam* emittere conspiciatur. Sunt etiam in vicinia *Hecklæ* habitationes & rura plurima, qvorum qvædam ultra tria vel qvatuor milliaria ab ipso monte non distant. De *orco* autem Heclensi vetustum & anile commentum est, nec qvenqvam incolarum adeo stupidum esse existimo, ut fidem ei aliqvam (*ut putant Autores isti*) tribuat. De *spectris, tumultu, ejulatu &c.* item de *corvis & vulturibus* (*vel ut Blefkenio placet, Mergis rubris*) circumvolitantibus purum putum figmentum est in Islandia, qvantum existimo, prorsus inauditum.

Auth. de Heckla. figm. refutantur.

Bleckenii Auctoritas. Cap. 6. p. 66. Descript. Island.

§. 4. Approbat nihilominus talia figmenta, qvædam etiam ipse comminiscitur, propriam experientiam allegando *Dithmarus Blefkenius* in probroso suo de Islandia libello, ubi iter suum Hecklense prolixè satis prosequitur. Verum occurrunt ibi nonnulla, qvæ fidem Blefkenianam haud parum elevare videntur. *Primò* enim *Hecklam* montem Islandiæ Septentrionalis facit, qvum tamen sit meridionalis ejusdem mons, *Schalboltiæ* vicinus. *Deinde Hecklam* suam montem maritimum facit & mari allui, *Glaciemq; Gronlandicam* tres integros menses qvotannis circa eam natare tradit, qvum tamen aliqvot â mari milliaribus distet, nec unqvam, nedum tres integros menses circa eam, utpote montem mediterraneum ferè, Glacies Gronlandica natet, qvippe qvæ, ut supra notavimus, in conspectum Islandiæ meridionalis rarissimè aut nunqvam venit. Est igitur veri haud

Thes. 3. §. 1.

haud absimile, *Blefkenium* omnem istam suam *scientiam Heclensem* ex famâ tantum incertissimâ hausisse. Imo, loci istius cognitione aliqvâ imbutus, audacter asserere haud dubitaret, hominem istum, aut Heclam nunqvam vidisse, aut omnium impudentissimè mentitum fuisse.

§. 5. *Fluminum* alia majora, alia minora sunt, multaq; horum piscibus, præsertim Salmonibus abundant. Præcipui autem & notabiliores fluvii sunt: Markarfliot in meridionali Islandia apud montes Eyafioll fluens, nec non Thors aa fluvius insignis â monte Heckla non procul decurrens, cui proximus est Olvers aa qvantitate haud minor, per provinciolam Islandiæ meridionalis Olves transiens, & non procul â portu Eyrarbacka in mare sese exonerans. *Albis* etiam (vulgò Huit aa) nec ignobilis est fluvius, in sinum Borgarfiord excurrens. In Boreali Islandia notabiliores fluvii sunt: Skialfanda Fliot in valle Bardardal decurrens, nec non Jokuls aa per provinciolam Reikiahuerfi fluens, & in sinum Oxarfiord sese exonerans, cui duo alii in Orientali Islandia fluvii cognomines sunt, nempe Jokuls aa a Bru / & Jokuls aa a Soleymasande/qvorum *ille* per ProvinciamMulasyslu/*hic* autem in Provincia Skaptafellssyslu labitur. Maximus autem Islandiæ fluvius esse creditur Lagar Fliot in Orientali Islandia haud procul â Cœnobio Skridu decurrens, in qvo anguis immensæ longitudinis (*an verè tamen nescio*) esse perhibetur. *Flumina notabiliora.*

§. 6. *Fontes calidi*, qvorum in Thesi mentionem fecimus, plurimi in Islandia reperiuntur, *qvidam* temperati, qvorum aqva admodum salubris est, & qvidem adeo, ut multi infirmi in talibus fontibus sese lavantes, sanitati haud rarò restituantur, *qvidam* autem supramodum fervidi sunt, & ejusmodi usibus neqvaqvam idonei. Ferventissimus talis fons reperitur in provinciâ borealis Islandiæ Thing Eyar Syslu/qvi ob immensum fervorem, aqvam perpetuò æstuantem & ebullientem habet, qvam etiam interdum latè evomit ac ejicit. *Thermæ.*

§. 7. Cæteros *fontes mirabiles*, qvos in Islandia reperiri tradunt Autores, fere ignoramus. Et *Mercatoris* qvidem *fontem fumosum* nostra non approbat experientia, *qvi fumigantis* (ut ait) *Mercatoris Fons fumosus.*

In Atl. min. Tab. Isl. p. 27.

In Anat. Blef. part. 2. f. 58.

In Descript. Hiberniæ Tab. 1.

ait) *aqva vitio nativam cujusq; rei originem demoliatur, adeo ut qvicqvid fumi istius exhalatione respersum fuerit in lapideæ naturæ duritiem, formâ duntaxat superstite, transmutetur.* Scribit tamen laudatus *Arngrimus Jonas*, se aliqvid tale de fontis cujusdam naturâ, in meridionali Islandia, juxta villam Haukadal inaudivisse. Qvod si autem veri aliqvid subest, res exemplo non caret. Meminit enim *Mercator* alibi, *fontis* cujusdam, vel potius *stagni*, non procul ab *Armaco*, urbe *Hiberniæ*, *in qvô si hasta defixa, per aliqvot menses relinqvatur, pars ea qvæ luto inhæsit ferrea, qvæ aqvæ immersa est saxea, reddatur, extans autem lignea remaneat.* In *Norvegia* etiam ejusmodi fontem reperiri mihi retulit *Hafniæ*, Consultissimus Vir *Absalon Beyer*, *Sarspurgensis* in Norvegia ante hac Nomophilax, Amicus & Fautor meus plurimum honorandus, simulq; particulam ligni in eodem fonte lapideam duritiem nacti, videndi copiam fecit.

Fons cerealis poculi saporem imitans. Mercat. & Blefk. (α) In Anat. Blefk. sect. 2. f. 58. (β) In desc. Isl. c. 4. Fons Pestilens Merc. & Blefk.

§. 8. *De Fonte*, qvem *cerealis poculi proprietatem vel saporem* imitari tradunt Autores, non prorsus fictum est, teste *Arngrimo Jona*, *(α)* sed nulli fere est usui, aqva enim, nisi è vestigio pota, evanidi saporis, & sincerâ aqva deterior fit. Nec contra morbum Gallicum *(ut nugatur Blefkenius, β)* cuiqvam profuisse compertum est. Ignotum enim atq; inauditum fere in Islandia id genus morbi est. *Fons* autem *pestilentis undæ*, cujus aqva, non secus ac venenum, potantes prosternat, *(ut tradit Mercator)* vel *(ut Blefkenio placet)* qvi aves etiam supervolantes, pestifero suo fumo interficiat, in Islandia neqvaqvam reperitur, nec repertus est unqvam, atq; ideo alibi investigandus, si verum est qvod de *Styge*, item de tribus fontibus exitialibus in *Beroso Taurorum colle Plinius* scribit.

In Atl. m. l. c. in desc. Isl. l. c. Fontes commutantes lanas albas in nigras, & ingras in albas, Wette-

§. 9. Obtulerunt se non ita pridem pagellæ qvædam de Islandia, Germanico idiomate, in lucem emissæ *à Daniele* qvodam *Wettero*, qvi Insulam lustrasse se perhibet, in qvibus inter plurimas fabulas, plerasq; ab aliis scriptoribus, præsertim *Blefkenio* emendicatas, qvasdam etiam ab ipso Autore commentas *fontium* duorum, *ni fallor* fit mentio, qvorum *alter* lanas albas in nigras, *alter* vero contrà, nigras in albas convertat. Tanta

figmen-

figmenta, totqve Paradoxa Nugator ille congesserat, ut haud absq; re obstupescerem ad ingenium hominis, tam falsa literis mandare, & propriam præterea experientiam allegare non veriti. Qvod autem fontes istos attinet, non solum nunqvam in Islandia visos aut repertos esse sat scio, sed an etiam in rerum natura dentur valde dubito, cum de ejusmodi fontibus apud Scriptores altum sit silentium. *ri de qvibus etiam videsis Schultesium in Synopsi Geog. p. 846.*

§. 10. Inter *lacus*, qvos habet Islandia, *duo* præcipue ob magnitudinem & pisciculorum capturam notabiles sunt, qvorum *alter* ad meridiem situs Thingwallawatn/ vulgo dicitur; *alter* vero in Boreali Islandia Miwatn appellatur. In hoc lacu tanta pisciculorum est copia, ut accolæ, si vel maxime nullam in mari exercerent piscaturam, abundè tamen haberent qvo victitarent. *Lacus notabiliores.*

THESIS V.

Ex locis Islandiæ celebrioribus, duo *Episcopali sede*, unicus *Præfecti residentiâ*; & novem *deniq; Monasteriis, antiqvitus ibidem fundatis, inclaruerunt.* *Loca Islandiæ celebriora.*

§. 1. Urbes munitas & fortalitia extruere nunqvam fuerunt solliciti nostrates, qvum propter maximam ab aliis gentibus distantiam, nec non insignem Oceani vastitatem hostes fortiores metuendos sibi haud fore, sed potius perpetuâ frui licere pace, animadverterent, qvo inenarrabili Divino benificio, nunqvam satis deprædicato, & cum infinitis thesauris haud qvaqvam commutando, Islandia plurimis orbis terrarum Regionibus felicior fortunatiorq; omni jure censeri potest.

§. 2. Cathedrali sede & Episcoporum residentiâ inclaruerunt *Hola* & *Schalholtia*, *hæc* in meridionali, *illa* in boreali Islandia. *Holensi Cathedræ* olim hæc paruerunt *Monasteria:* Thing-Eyrar/ Reinistadur/ Modruveller & Mukathuera/ omnia hæc 4. in boreali Islandiæ parte sita. Schalholtiæ a. subjecta Cœnobia hæc fuêre: Strida/ Kyrkiubær/ Thyckuebær/ WidEy/ & HelgaFell/ hoc in Occidentali, illud in meridionali, ista in Orientali Islan- *Sedes Cathedrales Isl. II. Monasteria IX.*

 dia

Præfecti Residentia. dia. Præfecti autem Regii residentia *Bessestadis* est ad sinum Alftafiord/in meridionali Islandia.

Latitudo Holæ & Schalholtiæ â Gubd. Thorlacio Episc. Hol. observata, vid. Præfatio ejus ad Anatomen. Blefkenian.

(α) In Com. Island. part 1, sect. 1. & in Anat. Blefk. part. 2. p. 36.

§. 2. *Latitudinem Holæ* Excellentissimus Vir *D. Gudbrandus Thorlacius* Diœcesis Holensis qvondam Episcopus, meus Proavus, 65°. 40. observavit, cui etiam respondet *brevissimi diei* qvantitas, qvæ ibidem duarum (& si qvid excedit) horarum, â Clarissimo *Arngrimo Jona* (α) aliisq; observata est. *Longitudinem* autem, Laudatus *Jonas* 14. fere graduum ponit. Qvam ego tamen juxta mappas recentiores & correctiores ad 15. ferè gradum extendere mallem. *Schalholtiæ* etiam *latitudinem* idem observavit 64°. & aliqvot primorum qvæ *Bessestadis*, ut in tractu vicino, paulo minor est observata, nempe 64°. ferè, qvare & *dies* ibidem *longissimus* est viginti circiter horarum cum semisse, teste *Arngrimo Jona. Longitudo hic* est 13°. *Schalholtiæ* autem 16°. fere. Cœterorum locorum *longitudines*, & *latitudines*, qvum accuratè, qvantum sciam, observatæ non sint, malumus omittere, qvam perperam forsitan, ex tabulis & mappis easdem excerpere.

THESIS VI.

Animalium Varietas.

Animalia qvadrupedia *non admodum varia habet hæc Insula, præter enim mansveta & domestica, nimirum Boves, Oves, Capras, Eqvos, Canes & Feles, ex feris Vulpes tantum, interdum etiam Ursos agnoscit.* Volatilium *autem insignem copiam & plurimas species habet. Mare itidem Islandicum immensâ Piscium & multitudine & varietate abundat.*

Boves Oves.

In Atl. l. sæpe citato.

Eqvi

Vulpes.

§. 1. *Boum Oviumq;* Islandia in primis fœcunda mater ac nutrix est, *Ovesq;* majores, qvam hæ Regiones producit, plerasqve cornutas, nonnullas etiam qvatuor & qvinq; cornua habentes. *Boves* autem, non omnes (*ut notat Mercator*) plurimi tamen, cornibus carent. *Eqvos* habet Insula plurimos, non admodum magnæ staturæ, sed cursus tamen celeritate præstantissimos. *Vulpes* etiam plurimæ ibi sunt, Ovibus & Agnellis infestissimæ,

qva-

qvarum multæ, pro tempestate anni colores mutant, adeò, ut qvæ æstate nigræ s. potius fuscæ fuerunt, hieme instar nivis candidæ reddantur. *Ursi* in Islandia neq; freqventes sunt, neqve perpetui, cum Glacie enim Gronlandica adventant, & cum eadem plerumq; recedunt, qvidam horum coloris sunt cineracei, qvidam albi, Bovisqve vel Eqvi magnitudinem multi æqvant. *Serpentes*, cæteraq; reptilia noxia & venenosa nulla habet Insula, privilegio cum *Hiberniâ* & *Creta* (*juxta Mercatorē*) communi. *Gliribus* etiam libera est, sed *Mures* habet freqventes. In qvibusdam autem, vel plerisq; circa Islandiam *Insulis* nulli degunt *Mures*, id qvod speciatim de Insula Grŷms Ey/ad Septentrionale Islandiæ latus sitâ, inaudivi, & si pulvere istius Insulæ pavimentum, vel locus aliqvis, ubi Mures esse solent, aspergatur, mox aut intereunt, aut domum illam, vel locum prorsus deserunt.

Ursi.

In Atl. min. Tab. 1. Hib. & in Desc. Ins. Creta.

Pulvis Insulæ Grŷms-Ey *mures fugans.*

§. 2. Ex *Avibus* (*qvarum plurimas species habet Islandia*) *aliæ* sunt domesticæ, ut *Galli, Gallinæ, Anseres, Anates, Columbæ*; (sed hæ tamen omnes præter, Gallos & Gallinas rariores) *aliæ* Campestres, ut *Aqvilæ, Falcones*, (qvi etiam candidi reperiuntur) *Accipitres minores*, *Corvi* (nulli tamen, ut notat Mercator, albi,) *Perdices, Cuculi, Alaudæ, Passeres Motacillæ, &c.* *aliæ* deniq; aqvaticæ, ut *Cigni, Anseres majores & minores*, *Anatum multæ species*, qvarum unica, qvæ Ædarfugl vulgò dicitur, *plumas* habet propter mollitiem singularem præstantissimas, ab Exteris vehementer desideratas, summoq; in pretio apud eosdem habitas. Sed hæc de avium varietate (*qvam tamen ne qvà minimam qvidem partem enumeravi*) dicta sufficiant. *Piscium* varietas paucissimis explicanda jam superest.

Avium præcipuæ species.

In Atl. min. Tab. Isl.

Anatum qvædam species Ædarfugl *appellata plumas habens præstantissimas.*

§. 3. *Fluvialium Piscium*, non tam varietate qvam abundantiâ gaudet Islandia, præter *Salmonem* enim *majorem* (*vulgo* Lax) *& minorem* (Sylung *appellatum*) multas non agnoscit species. *Marinorum* autem & immensa est copia, & varietas imperscrutabilis, horum alii sunt majores, alii minores. Ex minoribus communissimi sunt: Asellus, Solea, Raja, Canis & Lupus marini &c. Ex majoribus autem notiores sunt: Steipereidur 20. circiter perticarum decempedalium longitudinem, & crassitiem

Pisces fluviatiles.

Pisces marini.

Minores.

Majores

fitiem huic proportionatam habens. Slettbakur (*à plano tergo denominatus*) 60. plerumq; cubitorum communium longitudinem habens, qvem ob pinguedinem insignem Piscatores *Hollandi, Galli* & *Hispani* præcipue insectantur, capiuntq;. Sandæta 30. plerumq; ulnarum, nomen habet ab arena, cui incumbere amat, in ipso enim litore, ut plurimum conspicitur. Et hi qvidem omnes branchias habent, & dentibus carent. carnemqve habent saluberrimam & esui accommodatissimam. Sunt & aliæ Balænarum species naviculis & piscatoribus infensissimæ, qvæ dentes habent, sed Branchiis carent, qvarum carne nemo vescitur, ut: Hroßhueli s. *Caballus marinus*, immanis bestia, à juba eqvina, qvam referre perhibetur, id nominis sortitus. Nauthueli s. *Bos marinus*, ingens etiam bellua, à mugitu, qvem edit, horrendo sic dictus. Skotumooder vel *Rajæ mater*, monstrosa bestia, Rajæ aliqvo modo similis, sed infinitis modis major. Hæc alis naves grandiores interdum evertere perhibetur. Burhueli caput habens instar domus prægrande, unde etiam denominationem accepit. Bur enim Islandis penuarium denotat. Corpus autem reliqvum multo minus est, qvam ut capiti in proportione respondere videatur. Cerebrum habet copiosissimum, qvod multis morbis mederi perhibetur. Naahualur pallidi coloris, à cadavere humano, (*qvod* naar *Islandis dicitur*) denominatus, qvadraginta ulnarum longitudinem raro excedere fertur. In anteriori capitis parte *dentem* habet prominentem, qvò prædam insectatur, hunc pro *Monocerotis cornu* qvidam venditant, venenis enim adversari perhibetur. Dentem hujus Piscis, B. meus *Parens*, Diœcesis Holensis qvondam Episcopus, ante annos aliqvot nactus est, misitqve ad Serenissi. Daniæ Regem, Longitudo ejus qvatuor circiter cubitorum fuit, crassitudo autem, virilis brachii crassitiem non multum excedebat. Forma recta, teres, in fine acuminata fuit, Colorem autem habuit instar eboris candidissimum. Sed tantum de Piscium varietate, adeoqve Sectione nostra priore, ad seqventem jam σὺν θεῷ nos accingimus.

Monoceros Marinus.

SECTIO

SECTIO POSTERIOR

De

INCOLIS.

THESIS I.

Originem suam Gens Islandica à Norvegis ducit, qvi Anno Christi 874. Tyrannide Haraldi Pulchricomi, Norvegiæ Regis, novas qværere sedes adacti, in Insulam hanc antea desertam colonias transtulerunt, eamq; primi inhabitarunt. *Gentis Origo.*

§. 1. Absolutâ jam Islandiæ qvalicunq; *Chorographia*, de *Incolis* paucula dicenda restant. Ac primò qvidē considerandа eorū venit Origo, qvam non ab aliis, qvàm Norvegis eos ducere luculentissimè testantur, *tum* Annales Islandici, (*qvi non solum, undè, qvà occasione, & qvomodo eò appulerint Norvegi isti Exules, & postea in gentem excreverint Islandicam; sed etiam, qvem qvilibet agrum seu locum habitationi destinatum elegerit, distinctissimè referunt*) *tum etiam* leges & instituta plurima, à Norvegis mutuata, nec non lingva eorum vernacula & literatura antiqva Runica, qvâ olim usos fuisse eos constat. *Vid. Specimen Island. Chorogr. Arng. Par. 1.*

§. 2. *Occasio* habitatæ Islandiæ præcipua Haraldi Pulchricomi Tyrannis fuit, cum nimirū ille universum Norvegiæ Regnum suo subjecturus Imperio, Regulos (*qvos plurimos eo tempore habuisse fertur Norvegia*) expelleret, incolasq; variis exerceret gravaminibus, partim qvædam bona avita confiscando, partim pensiones annuas de illis exigendo. Qvod animadvertentes Viri Generosi, jugum hoc qvocunq; modo excussuri, relictis fundis & possessionibus suis satis amplis, Patriâ dulcissimâ cedere, qvam Tyranno obtemperare maluerunt. Patriæ itaq; desiderium exuentes, in Insulam hanc unà cum familiis commigrarunt, qvam non solum Incolis & habitationibus, sed habitationum etiam ruderibus vacuam, imò omni humani cultus vestigiis prorsus destitutam deprehenderunt, adeo ut tum primum ædificia in solo rudi ac inexculto excitanda & erigenda es- *Occasio habitatæ Islandiæ. Vid. Chronicon Norveg.*

Vid. Arngr. Jon. Spec. Isl pag. 85. & Anatom. Blefk. Part. 2. f. 64.

da essent, viaq; publica, alibi exscisso nemore, alibi saxoso solo delapidato, aperienda. Unde in fumos abeat necesse est qvorundam conjectura, nullo veritatis argumento suffulta, de Islandiæ habitatoribus Norvegis anterioribus.

Ingolfo primus Isl. inhabitator.

Apud Arngr. Jon. in Spec. Island Memb. i. p. 6

§. 3. Coloniæ ergo hujus in Islandiam traductæ Primipilum & Antesignanum Antiqvitates nostræ faciunt Ingolfum, Virum Nobilem; Ormone libero Barone de Fyrda Filcke in Norvegia progenitum; de qvo Vetus MSS. hæc habet: Ingolfur er frægstur Allra Landnáams Manna/thui hañ kom hier ad ude du Landi/ og bygdi fyrstur Landid/ og giordu thad adrer effter hans Dæmi/ i. e. *Ingolfus inter omnes terræ hujus* (Islandiæ) *occupatores celeberrimus est, is enim desertam eam deprehendens primus incoluit, id qvod ad ejus exemplum cæteri fecerunt.* Occupavit autem Ingolfus prædium Ingolfshefda in Meridionali Islandia, *de ejus nomine sic appellatum*, Anno Christi 874. Duravitq; hæc Coloniarum traductio annos 60. ad Annum nempe 934.

Pontani sententia de æra habit. Isl.

§. 4. Circa æram hanc Islandiæ primum habitatæ Celeberrimus *Isaacus Pontanus* diversum sentit, qvi ex Diplomatibus qvibusdam circa Annum 834. *Ansgario* Archi-episcopo Hamburgensi, ab Imperatore *Ludovico Pio*, nec non *Gregorio IV.* Pontifice Romano datis, de inculcanda & propaganda fide Christiana apud Septentrionales Populos (*inter qvos Islandorum & Gronlandorum expressa fiat mentio*) evincere vult, Islandiam ante annum 874. cultam fuisse.

Ratio cur Pontani sententiæ subsc. non poss.

Verum qvo minus nos huic subscribere possimus sententiæ; obstant Antiqvitates tam nostræ, qvam Norvegicæ, qvæ omnes magno consensu in annum modo citatum 874. digitum intendunt, extraneorum Dynastarum ærâ concorditer satis annotatâ, ut Imperat. Rom. Roman. Pontif. Regum Daniæ Norveg. Svec. Angliæ Hybern. &c. qvæ omnia & singula ita conveniunt, ut literarum vel instrumenti alicujus peregrini Apographum (*nam Autographum Clarissimo Pontano non esse visum existimamus*) variis exceptionibus & suspicionibus obnoxium, Annalibus tam concinnis præferre, piaculum esse videatur. Nam literas istas qvod attinet, Primò dubium alicui haud immeritò movere poterit, cur Ansgarius, alias propagandæ Religionis Studiosissimus, fidem Chri-

Christianam apud *Islandos* & *Gronlandos* sicut apud *Danos*, *Svecos*, *&c.* annunciari non curaverit, aut saltem tentaverit. Qvod nunqvam factum esse manifestum est, non solum ex nostris antiqvitatibus; sed ex Historiâ etiam Ecclesiasticâ Bremensi, qvæ tamen minime Ansgarianam diligentiam neglexisse videtur; sed plurima, etiam minuta, ad nominis ejus celebritatem qvodammodo spectantia, solicitè satis corrasisse. Nec minorem deinde auget suspicionem, qvod *Leo* & *Nicolaus* Pontifices Romani, in confirmationibus istius Privilegii eidem *Ansgario* datis, de *Islandis* & *Gronlandis*, cæteris tamen Populis nominatis, pisce magis muti sint, cur? an qvia in Autographo expressos non viderant? an qvia de *Islandia* & *Gronlandia* nondum habitatis rectius informati fuerant?

Hist. Eccles. Bremens. c. 28. fol. 12. & in Privilegiis Archi-Eccl. Hamburg. eodem libro contentis f. 246.

§. 5. Est igitur veri haud absimile, Monachos seqvioris seculi, laudum Episcopi sui avidissimos præcones, Islandorum & Gronlandorum nomen (*nam Gronlandiam, ad annum usq; 982. omni humano cultu destitutam, æqvè ac Islandiam Ansgariano Privilegio contineri putamus*) in tabulas jam exscribendas, vel typis mandandas intulisse, qvo magis eorum Arnsgarius totius Septentrionis Evangelista audiret. Nam si in literas Divinas addendo, adimendo, invertendo &c. plurima sibi permiserunt diversorum temporum Hæretici; qvid in humanas humana non audebit aut præsumet temeritas? Nisi forte, juxta conjecturam Clarissimi *Arngrimi Jonæ*, *Islandia* hic intelligatur *Zichiniana*, supra memorata, vel pro *Islandia* legi debeat *Frislandia* vel *Estlandia*, & pro *Gronlandia Entgronlandia*. Has enim Insulas absq; annalium nostrorum perturbatione Ansgarianæ æræ facile largiri possumus. Sed qvicqvid tandem sit, penes æqvum arbitrum judicium esto, an propter instrumenti alicujus peregrini Apographum, adeo suspectum, Antiqvitates & Annales domesticos, de rebus domesticis (*qvi mos nusqvam Gentium ad huc obtinuit*) malæ fidei crimen luere, æqvum sit ac justum.

Specim. Isl. part. 2. Memb. 2. p. 142.

§. 6. Nec nos hic moratur Solinus (*& si qvi cum eo faciunt Veteres Geographi*) dum Thulen Insulam incolas habere dicit, qvi sub initium veris, inter pecudes pabulo victitent, arborum-

Solini sent. de Thule Incol. c. 25. f. 303.

qve fructus in hyemem colligant, &c. Nam qvod de aliis forsitan Regionibus vel Insulis Septentrionalibus acceperat *Solinus*, homo â nostro axe remotissimus, id procul dubio Thulæ adscripserat, haud secus ac *Procopius*, qvi pro *Thule Scandinaviam* ineptissimè arripit, de qvo supra. Deniq; si nostro tempore de *Islandia* satis nota & navibus freqventatâ, plurima vana & futilia non solum narrantur, sed literis etiam mandantur; Isto ævo de *Thule* parum cognitâ (*teste Ortelio*,) multas extitisse fabulas, qvis diffidet, aut magnopere mirabitur?

Sect. 1. Th. 1. §. 17.

lib. 4. Rer. Geogr. pag. 139.

THESIS II.

Reip. apud Islandos forma.

Respulica Islandorum hoc tempore Monarchica est, sub felicissimo Augustissimi Daniarum Monarchæ Imperio, qvod per suum exercet Vicarium, qvi hodie Gubernator salutatur.

§. 1. A tempore habitatæ Islandiæ ad annum usq; Christi 1261. Aristocratica ferè Reipubl. forma ibidem obtinuit, qvo ipso Anno Regi Norvegiæ, Haqvino, Haqvini Filio, Sverri Nepote, homagium præstiterunt Incolæ, atq; ita Norvegiæ Regno primum tributarii facti sunt, non vi aut armis; sed voluntariâ, minimeq; coactâ submissione. Rege præter certas conditiones & privilegia, sibi suisq; successoribus servanda, favorem, defensionemq; Regiam pollicente; Populo vicissim, ad obseqvia debita Regi servanda, tributaq; justa solvenda, se suosq; posteros obligante.

Vid. Chron. Norvegicū & Crymogæa. Arngr. itē Specim. Isl. part. 2. membr. 2. p. 142. Nec non Anat. Blefk part. 2 p. 41.

§. 2. Paruit itaq; Islandia Regibus Norvegis, annis 327. usq; dum D. Margareta Waldemari III. Daniæ Regis Filia, â funere Filii Olai, (qvem ex Norvegiæ Rege Haqvino Magni Filio, susceperat) Daniæ & Norvegiæ Regnis potiretur, anno nempe 1387. Ex qvo tempore Daniæ Regibus paruit Insula ad hodiernum usq; diem, qvo Daniæ & Norvegiæ Sceptra, piè, Augustè, & gloriosè tenet ac moderatur, Augustissimus ac Invictissimus Monarcha FRIDERICUS III. cui homagium Anno 1649. Incolæ præstiterunt. Hæreditarium autem Majest. suæ jus, absolutamqve regendi potestatem juramento confirmarunt ac comprobarunt Anno 1662. Exeqvutore utriusq; hujus ho[illegible]

Vid. Crymog l. 3. nec non Chron. Danic. Arnoldi Huitfeld.

gii Illustrissimo Heroe HENRICO BIELCKE, Eqvite Aurato. Sereniss. Reg. Maj. Archi-admiralio ac Insulæ Gubernatore Eminentissimo.

THESIS III.

Ecclesia à duobus administratur Episcopis, qvorum alter Boreali, alter reliqvis Insulæ partibus præest. *Regimen Ecclesiasticum.*

§. 1. Annis 26. Islandi, sicut alii Septentrionales Populi, Ethnicismi tenebris sepulti fuerunt, eosdemq; qvos Dani, Sveci, Norvegi, &c. Deastros coluerunt, qvos generali nomine Goð/ item *Asos* appellabant. *Asi* ab Asia dicti sunt, qvasi *Asiani* vel *Asiatici*. Tradunt enim Antiqvitates ex *Asia* in orbem hunc Septentrionalem homines qvosdam colonias transtulisse, qvos variis tam animi, qvam corporis dotibus pollere animadvertẽtes Septentrionales populi, non solum ambabus manibus eos exceperunt; sed dominium etiam, & sceptra ultrò obtulerunt, qvæ cum summâ dexteritate administrarent, Deos, non homines crediderunt, atq; idcirco divino eos honore mactarunt, qvorum progeniem, Asaætt (*Divum genus*) item Godkunnug ætt (*celebre Deorum genus*) appellabant. Præcipui horum fuêre: Othin/ Thor/ Balldur/ Niordur/ Freir/ Tyr &c. *Othin*, vel *Othinus* Deorum Princeps ac Pater salutabatur, cujus Uxor *Frygga* Dearum omnium Regina ac Domina putabatur. Aula Othini *Walhalla* dicta est, qvam omnibus in armis fortiter occumbentibus lætum post funera hospitium præbere credebant. *Thorus*, Othini Filius Deorum fortissimus existimabatur, & post Othinum potentissimus, qvi etiam *Jovis* loco cultus esse videtur. *Ballderus*, Othini etiam Filius, formæ Majestate, sapientiâ ac benignitate omnes Deos excellere putabatur. *Niordus* in Ignem, Ventos & Pelagum dominium sibi præcipue vendicabat. *Freierus* autem Pluviæ serenitati & annonæ præesse putabatur, cujus Soror *Freja* amorum ac voluptatum Dea credita est. *Tyrus* propter animositatem & audaciam maxime commendatur, ac *Martis* vice cultus esse videtur, in Monomachiis enim ac præliis numen suum potissimùm exercere credebatur.

Vid. Eddæ Prologus. *Deastri Veteres.* *Othinus.* *FryggaDea.* *Walhalla Othini aula.* *Thorus.* *Ballderus.* *Niordus.* *Freierus.* *Freia Dea* *Tyrus.*

§. 2. Diis hisce suis dies aliqvot hebdomadis consecrarunt

Veteres, nempe *Tyro* diem ♂, Tyrsdag (*qvanqvam Clarissimus Magnus Olavius Islandus diem hunc Dysæ, qvæ Justitiæ Dea credita est, consecratum esse existimet*) *Othino* diem ☿ Othinsdag. *Thoro* D. ♃ Thorsdag. *Freiero* (*vel ut nonnullis placet, Freiæ Amorum Dea*) D. ♀ Freidag. Qvæ dierum denominatio apud *Danos, Svecos & Norvegos* etiamnum in usu est; apud *Islandos* autem rectius abrogata & absoleta. Habuerunt præter enumeratos hos Deastros Septentrionales populi alia etiam numina (*Deos nimirum ac Deas*) qvæ religioso cultu adorabant, de qvibus videsis *Eddam*, seu Mythologiam veterum Septentrionalium, per Excellentissimum *D. Petrum Resenium* anno proximè elapso Hafniæ editam. Maximo autem honore culti sunt *Othinus & Thorus*, qvorum ille *Danis & Svecis*, hic vero *Norvegis & Islandis*, præpuum & qvasi tutelare numen fuisse videtur. Sed de hisce satis. Ad Religionis Christianæ in Islandia propagationem, & Ecclesiæ ibidem fundationem, ejusdemq; incrementa transeo.

In Lexico Runico. p. 25.

à Mythol. 18. ad 27. Nec non Mythol. 30.

§. 3. Anno Christi 982. de fide Christiana inter Islandos agi cæptum est, sed non admodum magno cum successu. Anno deinde 997 auspiis Olai *Trigonis Norvegiæ* Regis, *Tangbrandus* qvidam de Religione in Islandia concionatus est, qvi etiam nonnullos Incolarum ad fidem Christianam convertit, tandem autem Anno 1000. ejusdem Olai Regis pietate, ac promovendæ religionis diligentiâ interveniente, in fidem Christianam publicè ac solenniter juratum est. Patet igitur, non ad Ansgarii tempora, qvippe qvi ante annos ferè ducentos jam tum vivorum numero sublatus fuerat, teste Historiâ Ecclesiasticâ Bremensi. Neq; ad annum 1398. (*ut somniat Blefkenius*) æram Islandiæ conversæ extendendam esse, id qvod præter Nostratium ac Norvegorum Annales etiam Chronicon Bremense confirmat, dum asserit: *Adalbertum* Episcopum Bremensem (qvi circa annum 50. supra millesimum floruit,) *DEO gratias egisse, qvod suo tempore Islandi ad Christianam fidem conversi fuerint.*

Consulatur Arngr. Jon. de Idol. veterũ Islandorum in Crymogæa. In Anatome Blefk. f. 42. Vid. Com. Isl. p. 2. sect. 1. f. 50. ad 59. & Crym. l. 2. Cap. 31. f. 13. Descr. Insf. Thul. p. 72. Sect. 1. Th. 5.

§. 4. Duas Islandiam habere Episcopales s. Cathedrales sedes supra diximus, *Holam* nimirum & *Schalholtiam*, *hanc* in Australi, *illam* in Boreali Islandia sitam. Primus Schalholtensis Episcopus fuit Islephus Anno Christi 1057. ab Adalberto Bremensi

Sedes Cathed. Vid. Histor.

mensi Archi-episcopo ordinatus. Holensis autem primus Jonas Ogmundius fuit, ab Archi-episcopo Nidarosiensi in Norvegia, Anno 1106. initiatus, uterq; horum Episcoporum cum suis successoribus, Romanæ Ecclesiæ & Religioni addicti fuêre, usq; ad Martinum Enerium Schalholtensem, & Olaum Hialthonium Holensem Episc. qvi primi, auspiciis Sereniss. Daniæ Regis Christiani III. Evangelicæ doctrinæ, secundum Augustanam Confesionem, præcones in Islandia fuêre. Ad qvam tamen magis stabiliendam plurimum præstitit Olai Hialthonis Successor Gudbrandus Thorlacius, Holensis Episcopus, de Ecclesiis in Patria sua communi suffragio, omnium præclarissime meritus, qvi primus Typographiam invehendam, librosqve plurimos Theologicos, (*& inter hos SS. Biblia, ipsius opera & studio juxta Lutheri versionem emendatius & correctius translata*) Holæ excudendos curavit, non sine maximo Ecclesiæ emolumento. Est itaq; hoc tempore, divinâ favente clementiâ, in tota Insula, Ecclesia optimè constituta, ab omnibus sectis alienis prorsus immunis ac libera.

Eccl. Brem. l. cit. Et Commentarius Isl. Arng.

Episcopi Evangelici, & Reformatio religionis, circa Annũ Christi 1550.

Typographia.

§. 5. Ædes sacras divino cultui destinatas circiter 330. habet Insula, Cœnobia (*ut supra diximus*) novem, qvorum tamen usus, inde â tempore reformatæ Religionis, nimirum An. 1558, non Ecclesiasticos, sed seculares penes est, qvi ex eorum reditibus Reg. Maj. certam pecuniæ summam qvotannis pendunt. Nosocomia qvatuor, unicum in qvalibet Insulæ qvadrante, Regiâ liberalitate ibidem fundavit, nunqvam satis Laudatus Monarcha FRIDERICUS III. Anno 1640. qvorum inspectio Episcopos penes est. Habet etiam Islandia Scholas duas Triviales, alteram Holæ, alteram Schalholtiæ, qvarum qvælibet 24. Eleemosynarios Regios nutrit, qvibus de victu & institutione, utraq; gratuitâ, prospicere Episcopi tenentur.

Templa. § sect. I. Th. 5. Cœnobia.

Nosocomia.

Scholæ.

§. 6. Ordinationes ac instituta Ecclesiastica, nec non omnes ritus sacros, cum Danis communes habent Islandi. Habet etiam qvælibet Præfectura suum Præpositum, qvi Ecclesiarum sibi commissarum inspectionem habet, & in negotiis Ecclesiasticis levioribus dispensat..., qvæ autem majoris sunt momenti

Instit. & ritus Ecclesiast.

Præpositi Præfecturarum.

ad

ad Episcopos deferuntur, qvi Ecclesias qvotannis visitant, examinantqve. Sed hæc de Ecclesiastico Statu in præsenti dicta sufficiant.

THESIS IV.

Politicum regimen.

Politicum Statum, Duumviri, seu Judices duo generales moderantur, qvorum alter Orientalem & Australem; alter Occidentalem & Septentrionalem Insulæ qvadrantem, sub sua jurisdictione & Inspectione habet.

Leges. §. 1. Legibus Islandi utuntur Norvegicis antiqvissimis, qvas tamen Magnus Norvegiæ Rex, Haqvini (*cui primo homagium præstiterunt Islandi*) Filius, plurimis in locis auxit, correxit, atqve emendavit. *Judices Generales.* Harum administratores, præter Duumviros, s. Judices illos generales, Islandicè Logmenn appellatos, *Judices Provinciales.* etiam sunt Judices Præfecturarum, qvi Syslu Menn vulgò dicuntur, qvorum qvisqve in sua præfectura jus dicit, ac tributa Regi solvenda colligit. *Assessores.* In qvalibet autem Præfecturâ à Judicibus eliguntur & ordinantur Assessores aliqvot, Islandicè Logrettu Menn/ vel Nefndar Menn appellati, qvi unà cum Judice causas forenses cognoscunt, sententiasqve ferunt. *Provinciarum curatores.* Sunt etiam præter hos Provinciolarum curatores Hreppstiorar dicti, qvibus præcipue pauperum cura est, Viduarum sc. Orphanorum aliorumqve, qvi aut senio confecti, aut morbo vel langvore impediti semetipsos sustentare neqveunt, inter qvos Eleemosynas distribuunt, qvas omnes tam Ecclesiastici, qvam Seculares, pro sua qvisqve conditione ac facultate, annuatim erogant.

Comitia anniversaria. §. 2. Circa Kalendas Julias in media Insula conventus universalis seu Comitia qvotannis celebrantur, ad qvæ Incolæ omnium ordinum confluunt. Heîc à Duumviris & 24. assessoribus ex omnibus Præfecturis selectis, negotia Insulæ præcipua pertractantur; lites, si qvæ inter Incolas intercedunt, intricatiores gravioresq; dirimuntur, sententiæq; annuo spatio in provinciis latæ examinantur.

THE-

Ædificia Islandi inhabitant ex ligno, cespite, & saxo constructa. Victus præcipuus in carne & Piscibus consistit. Amictus autem communissimus Pannus est, vel importatus, vel ibidem confectus.

St. Oeconomic.

Ædificia.

§. 1. Plurima Incolarum *ædificia* constant parietibus ex cespite haud inscitè constructis, interiusq; asseribus seu tabulis ligneis vestitis; & tectis ligneis qvæ etiam vitandæ aëris inclementiæ ergò terra graminea obducuntur. Sunt tamen haud pauca ædificia, præsertim sacra, qvæ ex solido ligno confecta sunt, satis ampla & sumptuosa. Falsum igitur est, qvod *Adamus Bremensis*, (α) *Crantzius*, (β) *Olaus Gothus*, (γ) *Blefkenius*, (δ) & ab his decepti *Hermannus Fabronius*, (ε) *Mercator*, (ζ) *Schultesius*, (η) cæteriqve recentiores tradunt de specubus subterraneis, & mansiunculis ex piscium ossibus extructis, ac ab Islandis habitatis: qvod figmentum solide satis ab Arngrimo Jona, (ϑ) antea refutatum est. Nec minus falsum est illud *Bremensis*, aliorumq; *qvi ex eo hoc annotarunt*, convitium, dum scribunt: Islandos communi *tecto, strato, & victu* cum jumentis uti. Vix enim aliqvis tam abjectæ sortis homo reperietur, qvin casulam aliqvam solis pecoribus destinatam habeat. Calumnia autem de victus communitate stupidior est, qvam ut refutationem mereatur, qvis enim homines fœno, & jumenta contra carne, piscibus, & ejusmodi cæteris vesci credet?

§. 2. Victûs in hac Insula nulla est inopia, Divinâ sic providente Clementiâ, sed vili satis pretio venundatur. Communissima Incolarum esca est caro Ovilla & Bubula, Pisces marini & aqvatiles, panis, Caseus, Butyrum, &c. Potus nonnullis est cerevisia importata, vel ibidem cocta.

(α) Histor. Eccl. Brem. descr. Thul. p. 72.
(β) ap. Mercat. in Atl. min. p. 28.
(γ) ap. eund. ibid.
(δ) In descr. Isl. Cap. 5.
(ε) In hist. mundi p. 2. f. 53.
(ζ) In Atl. l. c.
(η) In Synops. Geogr. p. 188.
(ϑ) Crym. l. 1. c. 5. & Comm. Isl. p. 2. sect. 2. 9. & 15.

 Non-

Nonnullis liqvor ex certis qvibusdam herbarum fruticumqve speciebus extractus, ac in modum cerevisiæ decoctus, potus sane haud insipidus. Plerisqve autem aqva sero lactis acetoso commixta. De piscibus minutim contusis, ac velut in farinam redactis, qvibus Islandos panis loco in mensa uti scribunt *Mercator, Schultheßius, &c.* nos planè latet, & pro figmento undelibet hausto habemus. Est qvidem panis apud tenuioris sortis plebeculam rarior, qvo tamen non prorsus destituitur, plurimi enim aliqvid farris, unde panem conficiant, apud Mercatores sibi comparant. Apud ditiores autem nullus panis est defectus.

In Atl. min. Tab. Isl. pag. 28.

In Synops. Geog. p. 485.

Vestitus.

§. 3. Vestimentorum communissima materia pannus est, isqve vel importatus, vel ibidem confectus. Virilium vestium forma veterum Germanorum habitum ferè refert. Fœminæ vittâ ex linteo albo caput vinciunt, cui pileolum imponunt, cæterisqve vestibus (*qvarum formam cum harum Regionum mulieribus communem fere habent*) tunicam ex parte demissam superinduunt. Aut igitur prorsus insanit, aut impudentissimè (*ut solet*) mentitur Blefkenius, dum utrumqve sexum in Islandia eodem incedere habitu scribit.

In desc. Isl. Cap. 3.

§. 4. Qvæ ad rei familiaris sustentationem pertinent, & ipsa Insula non satis suppeditat, ut & res cæteras necessarias Mercatores Hafnienses invehunt, ut sunt: frumentum & far, panis biscoctus, sal, cerevisia, vinum, pannus, linum, lintea, funes, aurum, argentum, ferrum, lebetes ænei, ligna, &c. Qvi vicissim Pisces induratos, carnes ovillas & bubulas, sebum, butyrum, boum tergora, oviumq; pelles, pannum Islandicum, &c. exportant.

Merces.

THESIS VI.

Lingva Islandi utuntur veteri Norvegicâ, qvam, ut & literaturam antiqvam Runer / *vel* Runaletur *vulgò dictam, Majoribus suis Norvegis acceptam referunt.*

Lingva Incolarum.

§. 1. Lin-

§. 1. Lingva hæc olim Gautamaal/i.e. Gothica, â Gothis, qvibus vernacula fuisse traditur, dicta est. Dicebatur etiam Norræna Septentrionalis, â latissimo suo in Regionibus Septentrionalibus usu. Non enim in Norvegia solum, sed in Dania etiam, & Svecia vernaculam fuisse hanc lingvam, inter alia argumento satis palpabili esse possunt Monumentorum Cipporumq; sepulchralium passim in hisce Regionibus repertorum inscriptiones antiqvissimæ, (*qvarum plurimas ab interitu & oblivione felici successu vindicavit Celeberrimus Wormius*) ut & Rythmi & poëmata antiqvissima Virorum Illustrium hâc ipsa lingvâ edita, inter qvæ apud Excellentissimum *Wormium* videri potest elegantissima fortissimi Daniæ Regis Regneri Lodbrock Oda, qvam Anno Christi 857. in carcerem crudelissimum, & serpentibus venenosis scatentem ab Anglis detrusus, inter serpentûm ac viperarum morsus truculentissimos animosâ voce ipse cecinit. Continet autem Oda isthæc Lodbrochi facinora & res gestas, habetq; 30. ferè strophas, qvarum qvælibet 10. versiculis absolvitur, qvamlibet autem Stropham hic intercalaris orditur: Hiuggum wier med hiorvi/ i.e. *Feriebamus ense, vel pugnavimus ense.* Epilogum autem hunc habet:

In Monumentis Danicis.

In Literat. Runicæ fol. 182. & seq.

Videri etiam potest SaxoGrammaticus, Histor. Dan. l. 9.

Fysimst hins ad hætta/	*Fert animus finire,*
Heim bioda mier Dyser/	*Invitant me* Dysæ, (*Deæ*)
Sem fra Herians hollu/	*Qvas ex* Heriani (Othini) *aulâ*
Hefur Odinn mier Sendar/	*Othinus mihi misit,*
Gladur Skal eg Ol med Asum	*Lætus cerevisiam cum* Asis (*Diis*)
J Ondveige drecka/	*In honoratissimâ sede bibam.*
Lifs ern lidnar Stundir/	*Vitæ elapsæ sunt horæ,*
Hlægiandi Skal eg deya.	*Ridens moriar.*

§. 2. Sed ita jam *lingva* hæc â moderna *Danica*, *Svecica* & *Norvegica* discrepat, idqve præcipuè ob freqventissima aliarum gentium commercia, ut diversissimum idioma esse diceres, nec usqvam, *qvod sciam*, gentium, præter qvam in

In Literatura Danic. fol. 137. Islandiâ pura ac incorrupta hodiè servatur, id qvod suo nobis confirmat calculo Celeberrimus *Wormius*, dum ait: *Hæc lingva* (Septentrionalis) *nusquam in Septentrione purior adhuc asservatur, qvam in Islandia, Daniæ Insula famosissima, cujus Incolæ, præter qvam qvod exterorum commerciis minus eam depravari sint passi, ab omni ævo, varias tum populorum suorum, tum reliqvorum Aqvilonarium res gestas eâ consignando, incorruptam, & apud se servarunt, & ad posteros transmiserunt. Qvo nomine à Saxone nostro in Præfatione suæ historiæ summopere commendantur.* hactenus *Wormius*.

Literatura Runica. §. 3. *Literatura Runica* apud nostrates jam fere obsoleta est, in cujus locum successit literatura Germanis Danis, aliisqve Septentrionalibus Populis, usitata. Runarum autem curiosus Excellentissimi *Wormii* Opus, qvod inscripsit, LITERATURA DANICA, evolvere poterit, ubi non solum harum Figura, Nomen, Potestas, &c. Sed etiam nonnulla de Linguæ hujus Septentrionalis elegantiâ, amplitudine, & antiqvitate nervosissimè proponuntur.

THESIS VII.

Incolarum Indoles. *Homines Islandia producit Probos, Ingeniosos, Industrios, hospitales, mediocris staturæ, corpore robusto ac bene proportionato, nec invenusta facie præditos.*

§. 1. Qvum ab aliis hujusmodi materias tractantibus animadvertam, nonnulla etiam de Incolarum indole proponi solere, paucula etiam ejus generis afferenda duxi, in qvibus tamen, ne ex affectu aliqvid dicere existimer, aut videar propriæ Gentis præconem vel tibicinem hîc agere velle, parcior ero. *Probitate* qvidem hanc Gentem nulli secundam esse, absq; affectu, omni jure, affirmare posse me existimo. Qvamvis autem non negemus, etiam inter nostrates, ut ubiqve gentium, miserando qvidem, sed communi mortalium fato, qvosdam malos ac improbos reperiri, (*sæpissimè enim*

enim mala sunt commixta bonis) rariores tamen hos esse neminem veritatis amantem, qvi cum gente ista aliqvantulum conversatus est, inficias iturum esse speramus. Ingenia etiã hic nasci haud sterilia vel infelicia, præter viros, partim egregie eruditos, *(qvos plurimos habet Insula,)* partim Juris Islandici peritissimos, ac in eodẽ acutissimos; etiã Artifices varii testes sunt, qvorum multi, Magistro & Informatore destituti, solo naturæ ductu opificia varia, egregiè elaborata producere valent. Poësi, Historiis, & Juri Islandico præcipue dediti sunt Islandi, in qvibus se sedulò exercent. Multi codicem LL. memoriter addiscunt, idqve tanto cum fructu, ut viri alias indocti cum Doctioribus haud imperitè disserere possint. De industriâ etiam veterum Islandorum *(præter qvam qvod multi castra secuti, & sub Regibus Daniæ, Sveciæ, Norvegiæ, Angliæ &c. stipendia merentes, egregia fortitudinis facinora patraverint, de qvibus Arngr. Jonas in Crimogæa)* sic disserit Illustris ille Danorum Historicus Saxo Grammaticus: *Nec Tylensium industria silentio obliteranda fuit, qvi cum ob nativam soli sterilitatem, luxuriæ nutrimentis carentes, officia continuæ sobrietatis exerceant, omniaq; vitæ momenta ad excolendam alienorum operum notitiam conferre soleant, inopiam ingenio pensant, cunctarum qvippe nationum res gestas cognoscere memoriæq; mandare voluptatis loco reputant, non minoris gloriæ indicantes, alienas virtutes disserere, qvam proprias exhibere.* hæc Saxo.

Industria Isl. modernorum.

Indust. Prisc. Island.

In Præfatione ad Hist. Dan.

Isl. Hospitalitas.

§. 2. Hospitalitate etiam Islandi aliis vix cedunt nationibus. Proficiscentes enim & præcipue peregrinos, qvibus possunt rebus adjuvant, & hospitiò libenter excipiunt, idq; gratis, adeo ut totam ferè Insulam, absqve vel unius nummuli expensa peragrare liceat. Hanc Islandorum hospitalitatem tacere non potuit impudentissimus ille Islando mastix, & convitiorum Hercules *Dithmarus Blefkenius*, qvin sponte fateretur *(nescio qvo veritatis œstro percitus)* Islandos multa in se Beneficia contulisse, & vario officiorum genere sibi se devinxisse, sed qvomodo hæc benificia compensare studuerit,

duerit, illius de Islandia libellus satis superq; testatur, ex qvo jam paucula exempli causâ hîc repetere lubet.

Calumniæ Blefkenianæ. §. 3. Scribit autem inter plurima mendacia, & calumnias, qvas omnes recensere hic nimis longum esset: *1. Qvod Islandi Canes tanto amore complectantur, ut difficilius, qvam liberi ab illis impetrentur. 2. Qvod stupra extra sangvinem & cognationem commissa nullam habuerint apud Islandos infamiam. 3. Qvod Parentes filias nubiles Mercatoribus exteris prostituant, & mensem unum, vel qvamdiu manserint, aut gratis aut pro vilissimâ qvacunq; re concedant, ex qvo concubitu si Filia facta fuerit gravida, majore eam, qvam antea, complectantur amore, atq; idcircò à multis petatur Procis, &c. 4. Qvod omnis natio Islandorum admodum dedita sit superstitionibus, Dæmonesq; sibi servientes & familiares tanqvam Domesticos habeant.* Hæc & similia, haud meliora, qvæ hic recensere & castis honestisqve auribus ac oculis sistere pudet (*sterqvilinium enim commotum magis fætet*) qvæsitâ occasione, sparsim libro suo inserere, ac in Deos hospitales evomere non piguit bonum istum Virum, qvæ singula, qvamvis ipse Blefkenius non primus commentus fuerit, sed nonnulla â *Munstero, Krantzio, Olao, Gotho &c.* emendicatus; nihilominus tamen, qvum propriam ubiq; allegaverit experientiam, tanqvam ab ipso efficta atqve ementita habemus. *Aspidem* tecto recipere aut alere antiqvitas inauspicatum duxit; interim tamen Aspidem qvæ Blefkenium probitate & gratitudine longe superaverit, hospitiiq; jura sanctius servaverit, historiæ nobis suppeditant. Autor enim est *Plutarchus, Virum qvendam Ægyptium, Aspidem adeo familiariter educasse, ut mensam ipsius sponte freqventaret, qvæ cum catulos enixa esset, ac eorum unus hospitis Filium necasset, Parens intellecto facinore, ipsa qvoq; suum catulum vindictæ loco interemit, sibiq; spontaneum & perpetuum exilium indixit.* Qvis jam qvæso Aspide qvidem deteriorem Blefkenium hac in re se profiteri negabit? cui biennale hospitium (*ut ipse perhibet*) idq; gratuitum Islandia præbuit, & talem nihilominus gratiam rependere non dubitavit?

§. 4. Qvod

§. 4. Qvod autem convitia ista concernit, & primò qvidem *canum amorem*, qvemvis sibi facile persvasurum esse existimo, ne in bestiam qvidem, nedum hominem Christianum cadere, ut alienos, qvam proprios fœtus, majore complectatur amore. Canum autem in Islandia tantâ freqventia est ac copia, ut vel sexcentos, & amplius facillimo negotio emendicare, ac indidem exportare Blefkenium potuisse nullus dubitem. *Stupra* autem & *adulteria* qvam turpia qvamqve detestata nostratibus sint semperqve fuerint, ex legibus & statutis Gentis nostræ antiqvissimis cuivis manifestum esse poterit, qvæ non solum *stupris, raptui, adulterio, incæstui, &c.* sed etiam *basiis*, sed *amplexibus clandestinis*, licet cum stupro non conjunctis, pœnam decernunt gravissimam, & *basiis* qvidem, si invitâ fœmina fierent, pœnam exilii; si consentiente, trium marcarum Islandicarum: *Stuprum* autem (*ut jam adulterium & incæstum taceamus*) si *liberæ* illatum fuisset, capitis diminutione; *si libertæ*, deportatione sive exilio; si autem *Ancillæ*, trium marcarum solutione, expiari præcipiunt. Nec stuprata scelus impunè aufert, (*nisi vim passa & de eadem intra lege præstitutum tempus, horas sc. 24. protestata*) sed exhæredanda pronunciatur. Hæc inqvam, & alia vetustissima Gentis Islandicæ statuta & sancita, cum recentioribus Regum edictis, postqvam in eorum potestatem Islandia redacta est, satis ut opinor in conspectu omnium mortalium testabuntur, qvam impiè & omni posthabito pudore Blefkenius mentitus fuerit, Stupra apud Islandos nullam habere infamiam, qvin & Filias â Parentibus leviter prostitui, idq; cum laudis affectatione.

Convitia Blefkeniana refutantur.

Vid. Crymog. de Nomoth. veterum Island. cap. 8. Lib. 1.

§ 5. *Veneficia* autem & cum Diabolo familiaritatem qvod attinet, non inficias imus, tam in Islandia, qvam alibi gentium aliqvando repertos fuisse incantatores. Sed qvis præter Blefkenium tam impiè audax & effrons esset, ut totam propterea Nationem Veneficii condemnet? ac si qvis universam nationem Germanorum propter Lamias & Strigas, passim & sæpe ignis supplicio affectas, Magiæ Diabolicæ &

Vene-

Titulo de Mañhelge. Veneficii insimularet. Qvam rigorose autem in talia scelera apud Islandos animadvertatur, præter legem in codice LL. extantē, de Veneficis & Incantatoribus capite plectendis, eorumq; bonis, si habent, confiscandis, etiam testantur executiones ejusmodi, qvarum novissima ante annos non ita multos in Occidentali Islandia facta est, ubi qvinq; Incantatores ignis supplicio affecti sunt.

§. 6. Tali veritatis fundamento nituntur pleraq;, imò ferè omnia, qvæ in *Descriptione Islandiæ Blefkeniana* continentur. Qvapropter optandum esset, ut Autores recentiores minus ex libello isto, aliisq; huic similibus excerperent, & suis vicissim, in præjudicium gentis insontis ac remoræ insererent; sed alios certiores seqvendos sibi eligerent, qvales in primis sunt Libri duo â Clarissimo *Arngrimo Jona* de Patria sua evulgati, qvorũ alter in octavo, COMMENTARIUS ISLANDIÆ, alter in qvarto CRYMOGÆA seu RERUM ISLANDICARUM LIBRI TRES inscribitur, qvos si seqverentur libros, multò melius scriptis suis consulerent, nec tot fabulis & figmentis vanissimis easdem deformarent. Sed nunc manum de tabula, & DEO Ter. Opt. Max. devotas dicimus

GRATIAS.

MENDÆ EMENDANDÆ.

SECT. I. TH. I. *§.4.l.5.* conveniențus, l. convenientius, *Eod. §. versâ pag. l.1. pro* An. 1370. *pone.* 1461. *§.5. & 7.* Pyrata *pro* Pirata. *Item in §.7.* pixide *pro* pyxide. *§.8.l.*11. pro aris & focis (*adde*) dimicaturus. *§.*9.10.11. 16. *in vocula* accurat: *alterum C. omissum est.* §. 9. *pag. finist. l.* 9. Thulæ *pro* Thule. *§.17. vers. pag. l.1.* suo orbe propinqvioribus *lege.* suo orbi propinq. *§.21. vers. pag. l.16.* unus mensis; *lege* unius mensis. *§.22.l.*10. cætere *pro* cæteræ. *Eod. §. p. finist. l.3.* horum qvant. *pro* harum qvantitas. TH. IV. p. sinist. l. 3. evomet *pro* evomit. *§.3.6.p.l.8.* farrinæ, *pro* farinæ. *Reliqva errata qvæ vel Typographi, vel Correctoris incuriâ remanserunt, B. L. restituere dignetur.*

